DE DISCIPLINA
POENITENTIÆ
LIBRI TRES.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE DISCIPLINA
POENITENTIÆ
LIBRI TRES

QVORVM PRIMVS
Totam Canonum Pœnitentialium diſciplinam exponit.

ALTER
Forum Sacramentalis Pœnitentiæ ſtatuit, & quæ olim fuerit prędictorum Canonum, aliarumque legum obſervantia, quæ Eccleſiarum eruditio, ac diſciplina, demonſtrat.

TERTIVS,
Quid obſervari in hoc Foro velint communi conſenſu veteres, recenteſque morum Doctores oſtendit.

PRIMUS DOCET,
Quæ circa pœnitentiam fuerit diſciplina juris;
ALTER,
Quæ fuerit diſciplina facti,
TERTIUS
Quæ eſſe debeat & juris & facti.

AUTHORE
BALTHASSARE FRANCOLINO
SOCIETATIS JESU THEOLOGO.

ROMÆ, Ex Typographia Cajetani Zenobii M DCC VIII.

SVPERIORVM FACVLTATE.

Digitized by Google

CHRISTO DOMINO

GENERIS HUMANI REPARATORI

POENITENTIUM PATRONO.

NON auderem profectò ad montem celſiſſimæ Tuæ Divinitatis accedere, ſi inde, ut olim, fulgetra coruſcarent. At poſtquam ſub humili noſtrâ naturâ radios Divinitatis occuluiſti, & peccatores ad pœnitentiam ſuaviſſimæ benignitatis illecebris invitaſti, factus ipſorum in Jordane veluti ſocius, in Urbibus & agris magiſter, in domibus conviva, ubique

Digitized by Google

cùm malignè accuſabantur, patronus, non ſum veritus me ſiſtere pedibus Tuis & offerre primùm lacrymas meas indices pœnitentiæ, inde labores meos, hos libros meos compoſitos pro tuenda cauſa Tuorum Pœnitentium, quos aliqui prægravare tentant onere non Tuo, onere Canonum, qui aut non fuerunt unquam, aut non viguerunt unquam, aut ex novis cauſis utiliùs periere. Hujuſmodi eſſe pleroſque Canones pœnitentiales reor. Id, ſi verum eſt, fac ut oſtendam. Si falſum eſt, id oſtendatur mihi, meique erroris redarguar. Alterutrum contingat, certus erit horum meorum librorum fructus, nimirum aut aliorum profectus, aut meus. Utrumque cupio, utrumque ut præſtes, humiliter, demiſsèque precor.

AD

AD LECTOREM.

NON eſt, cur te multis alloquar, ut quid his libris intendam, aperiam. Id ſatis docet prima hujus Voluminis pagina exhibens totius Operis argumentum, olim quidem à me tractatum ex parte, nunc autem pertractatum, tuo, meoque bono; tuo, ut erudiaris magis; meo, ut pateat magis, non aliam à me traditam tunc fuiſſe doctrinam, quam quæ communi Theologorum, & Caſuiſtarum conſenſu tradita fuit ab Eccleſia, quam, ut ſequor magiſtram Fidei, & Veritatis, ſic omnium, quæ ſcripſi, ſcribo, ſcribamque, Judicem adoro.

Is eſt ſcribentis finis, hæc mens, Sed quæ ſcribendi ratio? Ea quam modò plerique adamant. Longas & ſubtiles ratiocinationes, collectioneſque reiiciunt, textus volunt. Morem geram: textibus rem conficiam; nec brevibus, aut mutilatis, aut ad aliud ſpectantibus, ſed iis, in quibus Auctor id quærit quod quærimus, id docet ipſum ipſiſſimum fusè, ac disertè quod docemus. Hæc eſt ſcribendi ratio, ſeu forma præſertim libri tertii.

§ 4 *Sed*

Sed qui ſtylus? Non idem qui fuit cùm primò Clericum Romanum contra nimium rigorem munivi. Tunc delectare etiam volui, & delectando prodeſſe, nunc prodeſſe tantùm. Illud periculoſum fuit, hoc tutiſſimum erit; inſulſus videri malo, quàm ſalſiuſculus: ſcribam ſcholaſticè, ut modò ſolent Theologi, Caſuiſtæque, in id ſolum intenti, ut doceant, non ut lepido, aut eleganti ſermone demulceant. Tedium tamen à te depellet varietas, &, ut ſpero, utilitas lectionis. Primi libri utilitas erit eruditio quædam, & notitia Canonum Pœnitentialium, quos te non ignorare dices, antequam legas, ſed ignoratos fortè fatebris, poſtquam legeris. Secundi libri utilitas erit vera antiqui, noſtrique temporis æſtimatio. Tertii libri utilitas erit recta Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtratio. Hos abſque dubio fructus colliges, ſi credas, diſcere te aliquid poſſe etiam ex homine indoctiore, ſique in animum inducas tuum primò, nec deſpici à me, nec damnari Canones antiquos, quos reverita ſemper fuit Eccleſia; ſicuti non deſpicit, aut damnat Conſtitutiones Ordinum Regularium, qui Conſtitutiones à Conſtitutionibus diſtinguit, forum à foro, & aliquas ex illis dicit eſſe regulas tantùm, aliquas etiam præcepta, aliquibus unum Forum inſtrui tantùm, aliquibus, aut iiſdem alterum

rum

rum Forum non inſtrui tantùm, ſed etiam armari.

Secundò, laudare quidem me præſentem Eccleſiam, leges, eruditionem, ac diſciplinam, ſed fateri, has ipſas laudes referendas in Eccleſiam antiquam, in veteres Doctores, qui præivere, & viam docuere, quà eò progrederemur, quò progreſſi ipſi fuiſſent, ſi vitam ad hanc uſque noſtram ætatem produxiſſent.

Tertiò, laudari à me Doctores morum, Theologoſque, qui ſcripſere poſt Sanctos Patres, non tamen laudari omnes, nec probari omnia quæ docuerunt, ſed aliquid in omnibus, aut omnes in aliquo, nempè in doctrina communi, quæ, dum communis eſt, nequit eſſe antiquæ contraria.

Quartò, eos tantùm impugnari à me, qui, ut ſequantur antiquam, quam ſibi ſingunt, aut ſaltem incertam diſciplinam, deſerunt certam, nempè communem Eccleſiæ doctrinam, tertio hujus Operis libro, quem proindè legere ominò debes, contentam. Sic igitur legas primum librum, ut vacet etiam legere totum ſecundum. Sic legas ſecundum, ut niſi poſſis legere totum tertium, nec primum, nec ſecundùm legas. Si primum tantùm leges, fies in adminiſtrando Sacramento Pœnitentiæ fortaſſe rigidior. Si ſecundùm tantùm leges, fies

for-

fortaſsè benignior. Si verò leges tertium, tertius ipſe fies; nec rigidior, nec benignior, ſed ex utroque temperatus.

IM-

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sac. Palatii Apoſtolici.

Dominicus de Zaulis Epiſc. Verulanus Viceſger.

MICHAEL ANGELUS TAMBURINUS

Præpoſitus Generalis Societatis JESU.

CUM Opus, cui titulus: DE DISCIPLINA POENITENTIÆ &c. *à P. Balthaſſare Francolino* Societatis noſtræ Sacerdote conſcriptum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint; facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratiâ, has Literas manu noſtrâ ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 7. Novembris 1708.

Michael Angelus Tamburinus.

DE

Digitized by Google

DE mandato Reverendiſſimi Patris Paulini Bernardinii Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtri librum in tres partes diſtributum, cui titulus, *De Diſciplina Pœnitentiæ*, Authore eximio P. Baldaſſare Francolino Societatis Jeſu, Theologo, legi, & examinavi; in quo fulgent ad mentem, ardent, & pulſant ad Cor veritates ejuſdem Diſciplinæ, lucent Conſilia, Selecti ſcintillant paſſim Patres, Conſilia, aliique Sanctiſſimi juxtà, ac Doctiſſimi Viri, ex quorum omnium præclariſſimis documentis, adeò concinnam, ac ſuavem compoſuit doctrinæ harmoniam, ut ad exprimendam Eccleſiæ primitivæ, ac præſentis benigniſſimam indolem, seu propenſionem ad pietatem, & miſericordiam, nil jucundius optari poſſe videatur. Planè de his, quos in poſtrema parte recenſet; Apoſtolicis Viris ad hæc poſteriora ſecula ſpectantibus, incredibile eſt, ne dixerim pluſquam impium, vel leviſſimè ſuſpicari, quòd dum ad animarum ſalutem non ſine ingenti earum lucro ferventiſſimè incumberent, peregrinam deindè vellent intrudere praxim, seu regulam doctrinæ, quæ priori contradiceret. Optimè enim noverant, quanto æſtu, ac maligno ſtudio conentur hæretici ad ſcindendam Eccleſiæ unitatem, ac continuationem in doctrina fidei, & morum; ut tandem illius defectionem ad ſuarum hæreſum velamen, & firmamentum blaſphement. Sed inter cætera, quæ Author Operis eruditiſſimè profert ex antiquioribus etiam Patribus teſtimonia, audiatur Auguſtinus in epiſt. 261. ad Cœleſtinum Sum. Pontificem, cui referens quoddam ſui judicium minus ſeverè prolatum, ac benignè executum, id in ſui præſidium adducit, quod rectè ſciret, quantum Sedes Apoſtolica ad Clementiam, & benignitatem propenderet. *In illis autem* (inquit S. P.) *multiplicibus geſtis, quibus de illo noſtrum judicium continetur, magis deberem vereri, ne tibi minus ſeverè, quam oportetret judicaſſe videamur, niſi ſcirem, Vos tam propenſos ad miſericordiam, ut non ſolum nobis, quia illi pepercimus, verùm etiam ipſi exiſtimetis eſſe parcendum.*

Sucinit egregiè D. Thom. in peculiari expoſitione ſuper Matth. ad cap. 23. (aliis urgentiſſimis teſtimoniis apud Authorem relictis) nam præmittens, quòd *aliqui ſunt homines, qui non volunt perficere totum, tamen volunt aliquid perficere. Aliqui, qui etſi non volunt facere aliquid difficile, volunt tamen aliquid leve;* & tandem *Aliqui, qui etſi non faciunt,*

ciunt , habent tamen voluntatem faciendi ; ut deindè ergà omnes, ad benevolentiam, & pietatem inclinemur, paulò poſt ex Chryſoſtomo concludit. *Unde magis parcet tibi Dominus, ſi declinas ad Miſericordiam, quam ad ſeveritatem*. Pulchrè, ac piiſſimè ad hæc ſubdit Ludovicus Granatenſis lib. 6. Memorialis vitæ Chriſtianæ cap. 16. *Qui vult bonus eſſe Chriſtianus* (verba illius ſunt latinè reddita ex Idiomate Hiſpanico à Michaele ab Iſſelt Amor fortio) *huic neceſſe eſt, ut* ſemper *habeat tria corda in uno corde ; Unum erga Deum, alterum erga ſe ipſum, tertium erga proximum : hoc eſt, erga Deum opportet, ut habeat cor devotiſſimum, & humillimum ; erga ſe ipſum, ſeverum, & rigidum, erga proximum, liberaliſſimum, & benigniſſimum ; Beatus ille, qui adorat Trinitatem in Unitate, & beatus ille, qui poſſidet hæc tria cordium genera in corde uno*. Veriſſimè quidem, alioquin ſimilis foret Exactoribus tributorum, *qui* (ut ait Chryſoſtomus apud D. Tho. ibidem) *aliis magna faciunt ſolvere, pluſquam tributa exigant, ipſi autem ſui nihil ſolvunt*. His verò Sapientiſſimis Magiſtris fidem detrectare, nefas putarem, idcircò ad eorum ſenſum perſoluto operi non tam libens ſubſcribo, quàm gratulor, illius Authorem, ætate licet valdè provecta, tam arduum ſtudium uſque ad coronam fœliciter ſuſcepiſſe, in Eccleſiæ decus, in Concionatorum, ac Confeſſorum utilitatem, in Sanctarum Scholarum pium affectum, atque clarum Munimen. Dat. Romæ 29. Maii 1708.

F. Paulus Maria Cavvinus Sac. Theol. Magiſter, ac Theologus Caſanatenſes Ord. Præd.

EX

EX commiſſione Reverendiſſimi Sac. Pal. Apoſt. Mag. ſedulò percurri librum primum inſcriptum DE DISCIPLINA POENITENTIÆ, *Auctore Patre Baldaſſare Francolino* Societatis Jeſu Theologo, in quo nihil offendi quod orthodoxæ Fidei, boniſque Moribus ſit diſſonum, imò pleraque deprehendi multa eruditione referta, & affabrè contexta, quæ cum ad illuſtrandam antiquitatem, & commendandam Eccleſiæ antiquæ pietatem ac religionem per quam valeant, publica luce dignum arbitror. Ex Collegio Siculo Sancti Pauli de Arenula tertii Ordinis Sancti Franciſci die 25. Maii 1708.

Fr. Joſeph Marcheſe ejuſdem Collegii Studiorum Regens.

IMPRIMATUR,

Fr. Paulinus Bernardinius Sac. Apoſt. Pal. Mag. Ord. Prædic.

INDEX
Capitum Primi Libri.

CAP. I.

QUI Canones dicti fuerint Pœnitentiales. Pag. 1

CAP. II.

Qui fuerint Canonum Pœnitentialium Auctores. 9

CAP. III.

Quæ fuerit per hos Canones ſtatuta delinquentibus, vel propoſita pœnitentibus uſque ad quintum, vel ſextum ſæculum diſciplina. 12

CAP. IV.

Græcorum aliquot Patrum, nempè S. Petri Alexandrini, S. Gregorii Thaumaturgi, S. Baſilii, & S. Gregorii Nyſſeni Canones Penitentiales. 37

CAP. V.

Canones Pœnitentiales aliquorum Conciliorum, nempè Concilii Illiberitani, Concilii Ancyrani, & Concilii Niceni. 89

CAP.

CAP. VI.
Regulæ Ordinis Pœnitentium, horumque exercitationes, laboreſque, dum in pœnitentia detinebantur. 125

CAP. VII.
Quæ fuerit à ſęculo quinto, vel ſexto uſque ad tertium decimum in plectendis delinquentibus, & curandis pœnitentibus Gręcarum Eccleſiarum diſciplina. 132

CAP. VIII.
Quæ fuerit per eadem tempora in Eccleſia Latina infligendę pœnę, vel imponendę pęnitentię diſciplina. 143

CAP. IX.
De Canonicę Pœnitentię Redemptionibus, & de Indulgentiis. 209

CAP. X.
Quę fuerit Canonum Pœnitentialium Auctoritas. 223

Collectio eorum Canonum Pœnitentialium, qui modò à Doctoribus ſub hoc nomine afferuntur. 229

DE

DE POENITENTIÆ DISCIPLINA
LIBER PRIMUS.
Qualem diſciplinam contineant Canones Pœnitentiales,
Quis eorum Author, quæ Authoritas fuerit?

CLERICUS ROMANUS interrogat.
AUTHOR LIBRI reſpondet.

CAPUT I.
Qui Canones dicti fuerint Pœnitentiales?

1 C*Lericus Romanus*. Id argumenti, quod olim delibaſti tantùm, cùm veterem & præſentem Eccleſiam à viginti quatuor Calumniis vindicaſti, tractandum modò à te ſuſcipi, gaudeo ſummopere. Nihil enim modò frequentius in ore quorundam Doctorum, quàm hi Canones

pœnitentiales ; hos prædicant ſemper ; hos obſervatos in foro interno ab Eccleſia veteri diſtitant, & obſervari etiam à nobis volunt, aut etiam exigunt. Exigit Merbeſius, dum agens de illis in Summa Chriſtiana to.2. pag.182.edit. Pariſ. ſic habet. *Hi Canones ſunt ſervandi* (& quidem in Sacr. Pœnit. de quo ibi agit) *& in uſum quantum fieri poterit, ſunt revocandi*. Id non videtur exigere Genettus tract. 6. de Sacr. Pœnit.cap. 7. qu. 19. pag.146. edit. Venetæ, dicens. *Licet hos Canones pœnitentiales poſſint, & debeant Confeſſarii prudentiâ ſuâ moderari juxtà contritionem pœnitentis, habita ſemper ratione qualitatis perſonæ, & aliarum circumſtantiarum &c.* Sed revera exigit paulò poſt, dum qu. 20. poſt allegatos, exſcriptoſque ex S. Caroli Inſtructionibus hos Canones dicit, eos non videri abrogatos per contrariam conſuetudinem, eorumque rationem habendam in imponendis pœnitentiis, additque, *Cum hujus temporis Fideles ſanctiores non ſint primis Chriſtianis, cùm idem ſit Deus qui offenditur, & idem crimen quod admittitur, æquum eſt, ut idem homo ſatisfaciat eidem Deo pro eodem crimine, in eadem Eccleſia, & EODEM MODO. Si æquum eſt, ut nunc EODEM MODO Peccator ſatisfaciat*, jam non debet Confeſſarius hos Canones moderari, & mitigare, ut anteà docuit eſſe faciendum. Idem, quam-

quamvis non videantur, docent reliqui omnes, dum (ut optimè ipſe notaſti in Reſponſ. ad Anon. Impug. pag. 51.) eas afferunt antiqui rigoris cauſas, quæ vigent etiam modo, ac proindè eundem debent etiam modo effectum parere, ſi eum, quem dicunt, olim peperere.

Auctor. Gaudeo, quod artem, & modum, quo hi Doctores ſcribunt, obſerves. Statuunt enim ſæpe propoſitiones ſanas, ac bene temperatas, ſed aliqua poſteà ſubiiciunt, quo, ut videtur, omne temperamentum evertunt.

Cler. Id animadverti ſæpè, etiam in Morino, quem cæteroqui laudas in Præfat.ad lib. 1. Cler. Rom.

Auct. Morinum legiſti?

Cler. Legi, nec ſemel, poſtquam vidi, eum tam ſæpè in tuis libris allegari.

Auct. Igitur ſupervacuum putabis hunc meum tractatum de veteri Canonum pœnitentialium diſciplina, de qua Morinus tam fusè in ſuo Opere de adminiſtr. Sacr. Pœnit. quod non ſemel legiſti. Non igitur ſincera fuit ea tua gratulatio, quod hoc argumentum tractandum ſuſceperim, quod nempè actum agam.

2 *Cler*. Miror, tibi meam fidem ſuſpectam eſſe. Iterum gaudeo, & ſinceriſſimè gaudeo, quòd id argumentum tractandum ſelegeris, de quo Morinus quidem agit,ſed ità fusè, ut mentẽ

meam non ità vaſtam, & memorẽ obruerit magis, quàm erudierit, & rurſus ità interpretatur omnia,quæ affert,ut aliquibus quidquid rigidum eſt, probantibus, vel errandi, vel perſeverandi in ſuis erroribus anſam præbuerit, ut ipſe lib. 1. Cler. Rom. in Præfat. ad Lectorem notaſti. Refert enim multùm, ſub quo colore, vel luce aliquid proponatur. Ne mihi primum illud malum iterum contingat, redige in ſummam, quæ Morinus latiſſimè diſputat. Alterum ne contingat, facilè efficies pro eo odio, quo nimiam in Miniſtro Pœnitentiæ ſeveritatem inſectaris.

Auct. Hoc certè efficiam. At illud primum non item,eam ſcilicet Morini ſummam,aut compendium, quod velles, concinnare nolo, ne iterum me Adverſarii vocent Morini plagiarium. Brevior quidem erit diſputatio mea, at non ex rebus de Morini opere depromptis, ſed de fontibus ipſis,ex quibus ſua hauſit is Auctor, ex Patribus de Pœnitentia differentibus, ex Conciliis, ex antiquis libris Pœnitentialibus, aut Sacramentariis, aut Ritualibus, ex pręcipuis Canonum collectoribus, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptoribus, ex Theologiæ ſpeculativæ, practicæque Doctoribus, quos omnes conſului oculis meis, ne alterius mihi, aut mala intelligentia, aut mala fides imponat. Quod à me factum fuiſſe, dum duos Clerici Romani libros

ſcri-

ſcriberem, colligere debuit Lector non malignus ex eo, quod in omnibus fere illis diſputationibus prædictum Scriptorem impugno. Qua enim ratione ex iis, quæ is Auctor pro ſe affert, ipſum impugnem? Non igitur ex eo exſcripſi alia, quàm ea, quibus erat reſpondendum, quod qui faciunt, ſi eorum quos refellunt, plagiarii dicendi ſunt, Polemici omnes noſtri Doctores erunt appellandi Hæreticorum plagiarii. Sed hoc obiter ad calumniam propulſandam, ſeu prævertendam. Circa ordinem dicendorum, eum ſequar, quem ipſe interrogando ſequèris.

Cler. Ego verò à facilioribus incipiam.

3 Quæro igitur 1. Qui Canones vocentur Pœnitentiales? An ii ſunt quibus ſtatuitur quæ pœnitentia ſit à pœnitentibus peragenda?

Auct. Non omnes hujuſmodi ſunt. Nam is Concilii Romani ſub Silveſtro, *Ne quis det pœnitentiam niſi quadraginta annorum petenti*, & is Siricii Papæ, *Pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum*, nihil tale ſtatuit, & tamen uterque Canon pœnitentialis eſt. Is etiã Concilii Africani, *Pœnitentibus ſecundum differentiam peccatorum, Epiſcopi arbitrio, Pœnitentiæ tempora decernantur, & Præsbyter, inconſulto Epiſcopo, non reconciliet Pœnitentem, niſi neceſſitate cogente*, nullam pœnitentiam ſtatuit, quæ ſit à Pœnitentibus peragenda, & tamen in-

ter Canones pœnitentiales recenſetur. Innumeri etiam inter hos à Canonum collectoribus numerantur, qui non proponunt pœnitentiam, ſeu modum, quò pœnitens curetur, ſed pœnam, quæ ab Eccleſiaſtico Miniſtro reo infligatur, qui proindè non reſpiciunt Pœnitentem, ſed delinquentem, ut omnes illi ſunt, qui Clericos propter aliqua delicta gradu deiiciunt, & Laicos contumaces Fidelium communione privant.

4 Igitur Canon pœnitentialis latiſſimè acceptus is eſt, quo aut juſta pœna taxatur infligenda delinquenti, aut decernitur congrua pœnitentia imponenda, vel proponenda Pœnitenti, vel ſtatuitur aliquid ſpectans ad Pœnitentiam, vel ad ipſum Ordinem, ſeu Claſſem Pœnitentium. Ut enim eſt in Eccleſia Ordo Religioſorum, ſic erat Ordo ſeu Claſſis publicè pœnitentium, cujus leges illæ erant de non admittendis ad hunc Ordinem Clericis, non Adoleſcentibus, non iis, qui ſemel reſilierant, aliæque, quas infra recenſebimus, & etiam ipſæ Canones pœnitentiales dicebantur.

5 Sunt ergo tria genera Canonum Pœnitentialium. Primi generis ſunt qui taxant pœnitentiam imponeudam, ſeu proponendam Pœnitenti, vel aliquid ſtatuunt circa talem pœnitentiam. Ille taxat. *Lapſus in fornicationem*

tot

tot annis pœniteat. Ille ſtatuit aliquid circa pœnitentiam, *Qui publicè peccavit, publicè pœniteat, ſi Epiſcopus judicet id expedire; Qui verò clam peccavit, publicam agere pœnitentiam non cogatur.*

6 Secundi generis ſunt illi qui leges erant prædicti Ordinis publicè pœnitentium.

Tertii generis ſunt, qui pœnam ſtatuunt infligendam delinquenti, ſive ipſum commiſſi delicti pœniteat, ſive non peniteat, nec pœnitere poſſit, ut is, *Presbyter lapſus in fornicatione deponatur*, & is; *Pro eo qui ſibi mortem intulit, oblatio non recipiatur.* Hi propriè pœnitentiam non imponunt, nec aliquid ſtatuunt, quod ſpectet ad pœnitentiam, vel Pœnitentem, ſed pœnam infligunt delinquenti. Pœnitentia enim non eſt ſimplex pœna, ſed pœna impoſita jam pœnitenti, & volenti in gratiam Dei, & Eccleſiæ redire. At ſimplex pœna infligitur etiam non pœnitenti, & aliquando etiam incapaci pœnitentiæ, ut eſt is qui ſibi mortem intulit, nec peccatum retractavit. Quare Canones hujus tertii generis potius pœnales ſunt, quam pœnitentiales, pœnitentialibus tamen inſeruntur ſubindè, & eodem nomine cenſentur.

7 Ut autem magis tibi conſtet, Canones ſtrictè, & propriè pœnitentiales eos eſſe, qui pœnam ſtatuunt, quam is ſubire debebat quem

jam pœniteret ſuarum culparum, quique per veram pœnitentiam Deo ſatisfacere vellet, meminiſſe debes, uti Canones magis propriè pœnitentiales eam pœnitentiam ſtatuebant, ac dirigebant, quam initio Quadrageſimæ auſpicabantur qui graviora commiſerant; hanc autem, ut norunt omnes, ii ſoli inchoabant, peragebantque, quos verè commiſſorum delictorum pœnitebat, cùm ea, tota quanta erat, interni doloris, ac pœnitentiæ ſignificatio eſſet, & externa quædam profeſſio interni propoſiti inſtituendi novam vitam, & caſtigandi vitam male peractam. Demum Canones propriè pœnitentiales erant leges Pœnitentium, ergo eam pœnam ſtatuebant, quæ non ſolum eſſet vindicta delinquentium, ſed curatio pœnitentium.

CA-

CAPUT II.

Qui fuerint Canonum Pœnitentialium Auctores,

1 C*Ler.* Re perſpectâ, cauſam rei quæro. Qui nempe fuerint horum Canonum Auctores?

Auct. Non unus, & idem eſt. Nam aliquos Chriſtus Dominus, aliquos Apoſtoli condidere, aliquos Romani Pontifices, aliquos Concilia, aliquos Epiſcopi nonnulli. Illud in univerſum dici poteſt, eos ab ſola Divina, aut Eccleſiaſtica poteſtate fuiſſe profectos. Quamvis enim multi hujuſmodi Canones in Gallorum Principum Capitularibus legantur, conditi tamen, aut confirmati ab Epiſcopis fuere; quin plerique Conciliorum Canones ſunt, & Regia authoritate, adjectis pœnis in eos qui Epiſcopis non parerent, de conſilio ipſorum Epiſcoporum roborantur.

2 Primus aliquot hujuſmodi Canones ſtatuit Chriſtus Dominus, dum Sacramentum Pœnitentiæ inſtituit: hujus enim Sacramenti leges, Canones Pœnitentiales ſunt. Aliquos, ut crediderim, poſt Chriſtum Apoſtoli ſtatuerunt; inde dicti ſunt Apoſtolici. Hi aut ſunt aliqui ex illis,

qui

qui ſub hoc nomine, vel ſub nomine Conſtitutionum Apoſtolicarum, à Clemente Papa ad cenſuram, vel expiationem deliĉtorum ſcripti fuere, vel ſcripti eſſe feruntur, aut alii quos Apoſtoli non ſcripſere, ne ſpargerentur in vulgus Infidelium, quibuſcum tunc erant in eadem domo permixti Fideles, quibuſque noſtra omnia ludibrio erant, ſed tradidere Eccleſiis, quas fundarunt. Chriſti aut Apoſtolorum ſunt illi, quos conſtat ab Eccleſia fuiſſe ſemper obſervatos.

3 Creſcente poſtea numero Fidelium, & creſcentibus, ut ſolet in magno numero, deliĉtis, novi Canones pœnales, ſeu pœnitentiales conditi à Romanis Pontificibus fuerunt, nempe ab Anacleto, Evariſto, Pio, Zephyrino, Fabiano, Lucio, Eutychiano, Silveſtro, Julio, aliiſque, ſi Burchardo, cæteriſque antiquis Canonum Colleĉtoribus credimus, apud quos non paucos hujuſmodi Canones reperies his Pontificibus attributos, ut omittam alios multos, qui certò ſunt aut Siricii, aut aliorum Pontificum qui Siricio ſucceſſere, ab iiſdem, aliiſque Canonicis ſcriptoribus recenſitos. Multos exhibent prælaudati Siricii epiſtola 1. & 3. Leonis epiſtola 9. & 92. Felicis epiſtola 7. Gelaſii epiſtola 9.

4 Suos addidere Concilia, & præſertim Illiberitanum, Ancyranum, Gangrenſe, Arelatenſe 1. Agathenſe, & aliquot Carthaginenſia, & To-

& Toletana, ſuos aliquot Epiſcopi, zelo diſciplinæ præſtantes, nempe Gregorius Thaumaturgus, Petrus Alexandrinus, Baſilius, Gregorius Nyſſenus, quorum epiſtolæ hos Canones continentes, dictæ fuere Canonicæ, eaſque Balſamon interpretatur. Scriptæ autem illæ fuerunt vicinis Epiſcopis, à quibus prælaudati Doctores, ſapientiæ fama celebres fuerant conſulti. Cùm enim circa morum cenſuram pauca ab Apoſtolis eſſent edita decreta, cumque Epiſcopi qui ſucceſſerant, alius benigniùs, alius ſeveriùs cum delinquentibus ageret, dubitatum ſæpe fuit, qua eſſent illi ratione curandi, aut plectendi. In hac dubitatione, qui docti non erant, vel Doctore carebant, Romanum Pontificem, vel vicinum Epiſcopum doctrinâ & pietate celebrem conſulebant, vel expectabant Concilium, quod Epiſcopus Metropolitanus ſingulis annis, aut ſæpius cogere debebat, & gravioribus quæſtionibus de diſciplinâ morum, & cenſurâ delictorum per Canones reſpondebat. Id conſtat ex tam multis Pontificum epiſtolis, qui his ſuper rebus conſulti reſpondent, ex epiſtolis Cypriani, qui in causâ lapſorum jus dicit aliquando, aut proximum Concilium expectandum, monet, ac tandem ex epiſtolis prædictorum Patrum Grecorum, Thaumaturgi, Baſilii, & Nyſſeni, quæ reſponſa ſunt ad vicinos Epiſcopos directa,

recta, à quibus, ut dicebam, fuerant interrogati.

CAPUT III.

Quæ fuerit per hos Canones ſtatuta delinquentibus, vel propoſita Pœnitentibus uſque ad quintum vel ſextum ſæculum diſciplina?

1 CLer. Quæ tandem extitit ex tot numero Canonum diſciplina?

Auct. Quæ verè extiterit, dicam poſtea, nunc dicam, quæ fuerit à Patribus ſtatuta.

Et primò debebant Fideles, aut omnes, aut aliqui ad id electi, deferre ad Epiſcopum nomina eorum, qui liberiorem vitam ducerent, & graviùs deliquiſſent. Omnes ad id obligari voluit S. Baſilius in ſuâ ad Amphilochium èpiſtolâ, nam enumeratis caſtigatiſque multis delictis, ſic habet Can. 71. *Qui uniuſcuiuſque prædictorum peccatorum fuit conſcius, & non confeſſus, tanto tempore, quanto malorum effector punitus eſt, ipſe quoque punietur.* Eutychianus verò Papa, qui Eccleſiæ præerat an. 275. non omnibus, ſed aliquibus, & ad minus ſeptem de tota Parochia id onus impoſuit, ſi credimus Burchardo, qui lib. 1. cap. 91. affert præ-

prædicti Pontificis decretum cum juramento, quod emittere debebant ſeptemviri prædicti; eſt autem hoc.

2 *A modò in antea, quidquid noſti, aut audiviſti, aut poſtmodum inquiſiturus es, quod contra Dei voluntatem, & rectam Chriſtianitatem in iſta Parochiâ factum ſit, aut futurum erit, ſi in diebus tuis evenerit, tantum ut ad cognitionem tuam quocunque modo perveniat, ſi ſcis, aut tibi indicatum fuerit, Synodalem cauſam eſſe, & ad miniſterium Epiſcopi pertinere; quod tu, nec propter amorem, nec propter timorem, nec propter præmium, nec propter parentelam, ullatenus celes Epiſcopum, aut ejus miſſum, cui hoc inquirere juſſerit, quandocunque te de hoc interrogaverit. Sic te Deus adjuvet, & iſtæ Sanctorum reliquiæ.*

3 Preſtito juramento, interrogabantur ex decreto ejuſdem Pontificis, de omnibus delictis, quæ in Parochia fortè commiſſa fuerant. Capita interrogationum ſunt octoginta octo, & recenſentur omnia ibidem ab eodem Canonum Collectore. Nec iſta capita percurrebantur, ſed in ſingulis ſcrutator hærebat, ut omnia perveſtigaret, e. g. circa homicidium interrogabantur 1. an eſſet in Parochiâ commiſſum. 2. quis eſſet homicida. 3. quis occiſus, an liber, aut ſervus, an laicus, aut Clericus; & ſi Clericus,

Preſ-

Presbyterne vel Diaconus; an conſanguineus, ut Pater, frater, avunculus; an uxor, aut aliter conjunctus; an adultus, vel infans per abortum excuſſus, vel veſtimentorum pondere ſuffocatus, necdum baptizatus. 4. Quomodo fuerat homicidium commiſſum, an ſponte, an per vim factam à Domino, aut in bello, an voluntate, vel caſu, an opere, vel conſilio. Similis ſcrutatio fiebat circa reliqua.

4 Prædictum Eutychiani decretum renovatum fuit longè poſt in Concilio Rothomagenſi cap.9. ubi (ut refert Burchardus lib.2. cap. ult.) *Decani in Civitatibus, & in vicis publicis, viri veràces, & Deum timentes conſtituantur, qui deſides, & negligentes commoneant, ut ad Dei ſervitium abſque occaſione properent, & ut ipſi Decani Sacramento adſtringantur, ut nullâ interveniente cauſa, ſcilicet aut amoris, aut timoris, aut propinquitatis, aut muneris, negligentes & tranſgreſſores reticeant, quin Sacerdotibus proprias eorum culpas manifeſtent: Sacerdotum autem erit eorum vitia, zelo & amore Divino cum debita diſciplina corrigere &c.*

5 Sacerdotes autem plebium rectores debebant Epiſcopum facere certiorem de omnibus quæ in parochia cum ſcandalo patrabantur, vel quæ ipſi emendare non poſſent; refert enim idem Burchardus lib.19. cap. 100. hoc Alexan-

dri

dri Papæ Decretum, quo cavetur, *ut nemo Preſbyterorum xenium* (nempè munus aliquod) *vel quodcumque emolumentum temporale à quocunque publicè peccante, vel inceſtuoſo accipiat, ut Epiſcopo, vel Miniſtris ejus peccatum illius reticeat, nec pro reſpectu cujuſcunque perſonæ, aul conſanguinitatis, vel familiaritatis alienis communicans peccatis, hoc Epiſcopo innoteſcere detrectet.*

6 Antevertebat aliquando hanc prædictorum ſeptem Inquiſitorum,& Presbyteri Rectoris accuſationem reus ipſe, prodens Epiſcopo peccatum ſuum, ut benigniùs plecteretur, vel ex amore publicæ pœnitentiæ. Ad hanc ſpontaneam accuſationem reum hortatur S. Auguſtinus hom. 50. verbis, quæ afferam infra. Ad hanc alludit S. Ambroſius lib. 1. de Pœnit. cap. 16. De hac tandem loquitur Baſilius, dum ſponte confeſſo, minorem pœnitentiam imponit in ſua epiſt. canonica.

Cognito peccato, quod eſſet publicè puniendum

Cler. Permitte, ut interpellem te. Et quod erat hoc peccatum publicè puniendum?

7 *Auct.* Non idem in omnibus Eccleſiis. In Eccleſia S. Cypriani ferè omnia fuere publicè curata, ſi præſertim publicè commiſſa eſſent, nam in ep. 10. lapſos in perſecutione, & volentes

tes ſtatim reconciliari ſine publica pœnitentia redarguit exemplo propoſito eorum, qui *in minoribus peccatis agebant pœnitentiam juſto tempore, & ſecundum diſciplinæ ordinem ad exomologeſim veniebant, & per manus impoſitionem Epiſcopi, & Cleri, jus communicationis accipiebant*. Similiter in Eccleſiis prædictorum Patrum Græcorum imponebatur, aut proponebatur pro omnibus ferè delictis. At in aliis Eccleſiis, pro ſolis gravioribus peragi publica, & ſtudioſa debebat, aut ſolebat, ut in Eccleſia D. Auguſtini, aliorumqùe, ut conſtabit infra. Nunc redeo ad id, quod incœperam dicere.

8 Cognito peccato, quod eſſet publicè puniendum, reus confeſſus, aut convictus privabatur, aut omni communione Fidelium, aut omni, aut aliqua communione precum, aut Euchariſtiâ. Prima excommunicatio major erat, & anathema ſolebat appellari, reliquæ tres minores. Primus habebatur tanquam Ethnicus, Secundus Templo eiicebatur penitus, Tertius eiicebatur Templo poſt lectionem Scripturarum, Quartus offerre non poterat, nec ſumere Euchariſtiam. Hanc ultimam excommunicationem infligunt multi Canones Illiberitani pro tota vita, aliorum verò Conciliorum canones pro aliquanto tempore; hæc tamen pœna erat ita temperata in Eccleſiâ Ro-

mana

mana ex decreto Silveſtri Papæ, quod recitat Ivo part. 2. cap. 29., ut in die Cœnæ Domini, omnes ex quovis flagitio pœnitentes, ad communionem deberent admitti.

9 Si reus ità excommunicatus nulla daret pœnitentiæ ſigna, nec ad Epiſcopum recurreret, ut præſtitâ congruæ pœnitentiæ ſatisfactione abſolveretur, abſcindebatur penitùs à cœtu Fidelium, ſi non erat antea abſciſſus. Sic autem fieri debuiſſe, ac debere ex mandato ipſius Chriſti monet S. Auguſtinus relatus à Burch. lib. 19. cap. 64. *Erga eum, qui pro peccato commiſſo non pœnitet, tales eſſe debemus, ſicut Dominus præcepit dicens: Sit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus, & ſicut Apoſtolus jubet, ſubtrahite, inquit, vos ab omni fratre inordinatè ambulante, ſecundum traditionem, quam tradidi vobis.*

10 Si nec incuſſo anathemate excitabatur reus, & canonicam agere pœnitentiam contumaciter recuſabat, ſi præſertim id faceret, non tam ex horrore ſeveriſſimæ pœnitentiæ, quàm ex amore ſuorum delictorum, quæ relinquere nollet, cùm tandem ea relinquebat, & veniam expoſcebat, duriùs tractabatur, ut conſtat ex eo Carthag. Concilii Canone, cujus meminit idem Canonum collector lib. 19. cap. 38. *Negligentiores Pœnitentes tardiùs recipiantur.* Hinc poſtea Beda ex eodem lib. 19. cap. 118. in ſuo

Pœnitentiali monuit, ut *quanto quis tempore moratur in peccato, tanto ei augeatur pœnitentia*. Si verò ſolùm in morte recurreret ad remedia pœnitentiæ, ei negabantur pœnitus in aliquibus Eccleſiis (quod tamen Cœleſtinus, aliique Pontifices non probarunt, ut oſtendi in Cler. Rom. lib. 1. diſp. 2. 3. & 4.) in aliis Sacramentum reconciliationis miniſtrabatur, non autem Euchariſtia, quod ipſum vetitum videtur in Conc. Nicæno Can. 13. Certè vetitum poſtea fuit à pluribus Pontificibus & Conciliis, generalem eam regulam ſtatuentibus, ut omnibus in mortis articulo conſtitutis, & ex animo poſcentibus, utrumque Sacramentum miniſtretur. Horum ſeu Pontificum, ſeu Conciliorum decreta refert Ivo part. 15. cap. 9. cap. 30. & ſeq. uſque ad 40. & aliqua afferam infra.

11 Id tamen cautum ubique fuit, ut iis, qui poſt commiſſa enormia delicta peterent in morte remedium pœnitentiæ, Sacramentalem videlicet abſolutionem, non aliter ea concederetur, quàm impoſito onere peragendi, ſi convaluiſſent, canonicas pœnitentias, quas infra deſcribam. Id certè obſervari poſtea mandarunt aliquot Concilia (quorum meminit Ivo part. 15. cap. 28. & 39.) nec niſi ex regulis antiquæ Pœnitentiæ, quas renovant, & confirmant. Quin ex Canone Concilii Carthaginen-

ſis,

ſis, cujus meminit Ivo parte eadem cap.8. quicunque abſolvebatur in morte, legibus canonicæ pœnitentiæ ſubdebatur, ſi canonica delicta commiſerat, quamvis in eo mortis articulo, uſu rationis amiſſo,id onus ſibi imponi non advertiſſet. Hæc ſunt verba Canonis. *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim verſus fuerit, dent teſtimonium qui eum audierint, & accipiat pœnitentiam. Et, ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Eucbariſtia. Si ſupervixerit, admoneatur à prædictis teſtibus, petitioni ſuæ ſatisfactum, & ſubdatur ſtatutis pœnitentiæ legibus, quandiu Sacerdos, qui pœnitentiam dederit, probaverit.*

12 *Clcr.* Ecquæ nam erant iſtæ leges Pœnitentiæ?

Auct. Multæ illæ erant. Cùm reus communione prædictâ privatus, aut eâ privatione dignus propter aliquod delictum ſtatuebat non ultra differre remedia pœnitentiæ, ſe vel Antiſtiti, vel Presbytero Pœnitentiario ad id electo repræſentabat, & confeſſus humiliter peccatum ſuum, pœnitentiam, quâ curaretur, & veniam, quâ cum Deo, & cum Eccleſiâ reconciliaretur, precibus, & lacrymis expoſcebat. Neutrum

illico dabatur, ut non ſtatim annuitur modò iis qui petunt in religioſam familiam admitti, ſed multa expenduntur, ætas, indoles, animus, conditio. Ut enim religioſa profeſſio ardua res eſt, nec licet ab eâ reſilire, ita nec licebat ab incœpta pœnitentia, quæ res erat difficultatum pleniſſima, & religiosâ ipſa profeſſione difficilior. Expoſcebat igitur hominem fortem, conſtantem, paratum omnia perferre, & liberum ab omni vinculo publici muneris, aut matrimonii. Hinc illæ Pontificum, & Conciliorum leges, quas innuebam ſupra, ne pœnitentia committeretur juvenibus, aut conjugatis, ſi conjux non conſentiret, aut non præbentibus ſigna ingentis doloris ex peccato commiſſo, aut inconſtantibus, & relapſis poſt pœnitentiam olim ſuſceptam, quas aliaſque hujuſmodi leges reperies apud Ivonem parte 15. decreti, alioſque Canonum collectores, & referam infra.

13 Ubi iſta conſtarent omnia, & bonam ſui ſpem faceret Pœnitens, imponebatur ei ſtatuta per Canones publica pœnitentia, quæ toto primo, & ſecundo Eccleſię ſœculo non fuit admodum longa, nec aſpera, & pro ſolis majoribus delictis impoſita, nempe apoſtaſia, adulterio, homicidio, & fortè aliis, quæ his affinia forent. Idque etiam videtur factum ſæculo tertio. Quæ enim per ſuos Ctnones punit Gregorius Epiſcopus

pus Neocæſarienſis, non fuere furta quæcunque, ſed commiſſa per ſummam impietatem, & ex quodam conſenſu cum Infidelibus, qui eas regiones barbarâ incurſione devaſtaverant, omniaque ex illis, quæ potuerant, abduxerant. Tota ſimiliter aut fere tota S. Cypriani cenſura, quam nobis ejus epiſtolæ exhibent, fuit circa lapſos in Decii perſecutione, quos ipſos voluit quidem, antequam reconciliarentur, aliquandiu pulſare fores Eccleſiæ, ingemiſcere, veniam humiliter petere, jejunare, non tamen annos totos, ut ſub finem tertii ſeculi cœptum eſt injungi in aliquibus Eccleſiis etiam iis qui non tam enormiter peccarant.

14 Modus pœnitentiæ fuit ubique idem ſaltem in ritibus prçcipuis. Ubique enim qui ad hanc publicam, & canonicam pœnitentiam erant admiſſi, eam in die cinerum auſpicabantur, ut deſcribitur in Concilio Agathenſi cap. 11. apud Ivonem part. 15. cap. 45. quod Concilium quamvis fuerit celebratum ſub initium ſçculi ſexti, modum tamen exponit ſuperioribus ſæculis uſitatum, ut aliunde conſtat, & colligitur ex Sozomeno infra allegando. Modus autem hic eſt.

In capite Quadrageſimæ omnes Pœnitentes, qui publicam ſuſcipiunt, aut ſuſceperunt pœnitentiam, ante fores Eccleſiæ ſe repræſentent Epiſcopo Civitatis, ſacco induti, nudis pedibus,

vultibus ad terram proſtratis, reos ſe eſſe ipſo habitu & vultu proclamantes. Ibi adeſſe debent Decani & Presbyteri Pœnitentum, qui eorum converſationem diligenter inſpicere debent, & ſecundum modum culpæ pœnitentiam per præfixos gradus injungant. Poſt hæc iu Eccleſiam eos introducat, ut cum omni Clero, ſeptem Pœnitentiæ pſalmos in terram proſtratus cum lacrymis pro eorum abſolutione decantet. Tunc ſurgens ab oratione, juxta quod Canones jubent, manus eis imponat, aquam benedictum ſuper eos ſpargat, cinerem priùs mittat: deinde cilicio capita eorum cooperiat, & cum gemitu, & crebris ſuſpiriis eis denunciet, qnod ſicut Adam projectus eſt de Paradiſo, ita & ipſi ab Eccleſiâ pro peccatis abjiciuntur. Poſt hæc jubeat Miniſtris, ut eos extra januam Eccleſiæ expellant, Clerus verò proſequatur eos cum Reſponſorio, in ſudore vultus tui veſceris pane &c. ut videntes ſanctam Eccleſiam pro facinoribus ſuis tremefactam atque commotam, non parui pendant pœnitentiam. In ſacra autem Domini cœna, rurſus ab eorum Decanis & eorum Presbyteris, Eccleſiæ liminibus repræſententur, ut videlicet ad ſacram communionem admitterentur. Hic autem, ad uſus eorum temporum bene intelligendos, aliqua notanda ſunt.

15 1. Jubentur Pœnitentes Epiſcopo ſe re-

præ-

præſentare in capite Quadrageſimæ: hoc enim tempore conſuevit ſemper Eccleſia admittere per has cęremonias ad publicæ pœnitentiæ profeſſionem, quamvis eſſent aliqui jam antea in numerum Pœnitentium relati, & ideo jubentur ea die Epiſcopo ſe repræſentare etiam qui antea *ſuſceperant pœnitentiam*, qui videlicet eo tempore quod ab ultimâ Quadrageſimâ uſque ad præſentem fluxerat, fuerant ad pœnitentiam admiſſi. Ut enim in ſolo utroque Paſchate, nempe Reſurrectionis, & Pentecoſtes, ſolemnis Baptiſmi cęremonię Fidelibus exhibebantur, ita ſolo die Cinerum exhibebantur ritus ſolemnis Pœnitentiæ; & ideo aliquot diebus ante initium Quadrageſimæ, nempe Dominicâ Septuageſimæ, Plebium Rectores hortabantur eos qui publicè deliquiſſent, & eâ occaſione etiam reliquos Fideles ad pœnitentiam. Hinc eâ Dominica (ut faciunt etiam modò) lugubria in Miſſis indumenta ſumebant Sacerdotes, incipiebantque divinam expoſcere miſericordiam.

2. Pœnitentes hac die admiſſi ab ea ſtatione, ſeu gradu, quo juſſi erant, pœnitentiam inchoabant.

Cler. Quæ erant iſtæ ſtationes, graduſve, per quos publica pœnitentia peragi debebat? An illi quatuor, quos in Cler. Rom. initio libri 1. deſcripſiſti, & dicti fuere Fletus, Audi-

tio, Proſtratio, & Conſiſtentia.

Auct. Illi prorſus.

Cler. Ecquod in illius Myſterium?

Auct. Magnum, & ſacrâ inſtructione plenum, quod tibi paucis pando.

16 Qui enorme aliquod, & publicum delictum commiſerat, ne nomen Chriſtianum apud Ethnicos infamaret, ab albo Chriſtianorum quodammodo expungebatur, & tanquam Ethnicus habebatur, ut Collector Conſtitutionum quæ dictæ fuere Apoſtolorum, faciendum monet lib.2. cap.43. & cap.45. Ut igitur Ethnicus qui ad Eccleſiam pro Baptiſmo recurrebat, non admittebatur ſtatim, nec ſine multis præviis probationibus cæremoniiſque, ita diù multumque probabatur, qui poſt graviſſima delicta Templo, aut ab omni Fidelium communione ejectus, ad Eccleſiam, ut reciperetur, humilis recurrebat.

Tempus, quo probari debuit Infidelis, antequam ſacro lavacro luſtraretur, non idem ubique fuit, ſed per aliquot ſæcula, longum in multis Eccleſiis fuit. Duorum annorum ex Concilio Eliberitano, biennii pariter ex Novella 144. Juſtiniani, ſeptennii, & amplius ex uſu aut abuſu aliquarum Eccleſiarum; paucorum menſium, ex conſuetudine aliarum; nam Sanctus Martinus, octo annis Catechumenus fuit,

ut

ut teſtatur Severus Sulpitius in ejus vita lib. 1. cap. 2. Sanctus verò Auguſtinus, ſolis octo menſibus, ut ſcribit Lndovicus de Angelis in lib. 3. de vita, & laudibus S. Auguſtini cap. 3. ſcilicet à 28. die menſis Auguſti ad 24. menſis Aprilis.

Cler. Cur tam longa, tot menſium, aut etiam annorum probatio?

Auct. Cauſa fuit multorum lapſus in perſecutionibus, multorum inconſtantia in accepto propoſito vivendi vitam Chriſtiano dignam. Ne tam ſepè hæc peſſima exempla contingerent, ſolis diu probatis fuerunt noſtra credita Sacramenta.

17 *Cler.* Quæ iſtæ probationes erant, quæ iſto tempore Catechumenorum exercitationes?

Auct. Quatuor erant. Eruditio ſacra, preces, & hymni in Templo auditi, ſcrutatio per multas cæremonias, interrogationeſque, & pœnitentiæ.

De prima, quæ potiſſima erat, nempe de ſtudio audiendi addiſcendique noſtrę Fidei dogmata, noſtræqne Religionis mandata, unde hi Catechumeni Auditòres dicti, loquitur S. Aug. in lib. de Fide, & operibus cap. 6. *Quid autem aliud agit totum tempus, quo catechumenorum locum nomenque tenent, niſi ut audiant, quæ fides, & qualis vita debeat eſſe Chriſtiani?* Audiebant autem etiam ipſum Epiſcopum hortan-

tem

tem ſuum populum, ut conſtat ex Canon. 84. Concilii 4. Carthag. & ex cap. 1. Concilii Valentini celebrati tempore Leonis Papæ, & ex cap.5. lib.8. Conſtit.Apoſt. ex quibus etiam habetur, ipſos Infideles qui nondum cogitabant de ſuſcipienda noſtra Religione, permiſſos ingredi Templum, & audire Epiſcopum concionantem, non tamen audire Pſalmos, lectionem ſcripturarum, & orare cum Fidelibus, ut permittebantur Catechumini, qui præſertim auditâ Chriſti doctrinâ Baptiſmum petebant, & Catecumeni competentes dicebantur, imò abſolutè Catechumeni; hinc primis Catechumenis, nempe Auditoribus, & Infidelibus Templo dimiſſis poſt abſolutam Epiſcopi concionem per ea Diaconi ab alto loco clamantis verba, *Ne quis Auditorum, ne quis Infidelium*, ut in prædicto cap.5. lib. 8. Conſt. Apoſt., monebantur competentes ab eodem Diacono, ut orarent illis verbis ex eodem loco dictis, *Catechumeni orate*, nempè precibus quibuſdam ab Eccleſia ſtatutis, quibus peractis, & ipſi dimittebantur.

Expiatio autem, & repurgatio Catechumeni peragebatur ſcrutiniis: ſignificabatur autem nomine ſcrutinii ea actio ſimul imponendi manus capiti ſubjecto, imprimendi crucem fronti ipſius, expellendi Dæmones per exorciſmum, tangendi aures & nares, jnungendi, tradendi, &

rdden-

reddendi Symbolum, & orationem Dominicam, quæ omnia complectitur. S. Aug. lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos cap. 1. per hæc verba. *Quid eſt quod hac nocte circa vos actum eſt, quod præteritis noctibus actum non eſt, ut ex locis ſecretis ſinguli produceremini in conſpectu totius Eccleſiæ, ibique cervice humiliata, in humilitate pedum, cilicio ſubſtrato, in vobis celebraretur examen, atque ex vobis extirparetur Diabolus ſuperbus, dum ſuper vos invocatus eſt humilis altiſſimus Chriſtus?* Et lib. 4. cap. 1. *Omnia Sacramenta quæ acta ſunt, & aguntur in vobis per miniſterium Servorum Dei, exorciſmis, orationibus, canticis ſpiritualibus, inſufflationibus, cilicio, inclinatione cervicum, humilitate pedum &c.* Hæc autem complexio, & copulatio tot actionum, dicebatur ſcrutinium, quia per eas, & per ſigna, quæ in illis dabant Catechumeni, & per quaſdam prædictis actionibus immiſtas interrogationes, ſcrutabantur Sacerdotes, quæ in illis eſſet pietas, quæ firmitas in fide, quæ ad Baptiſmum præparatio, ac diſpoſitio.

18. Eodem tempore, quo his ſcrutiniis, & ritibus conſecrabantur, quod erat, ut dixi, tempus Quadrageſimæ, variis pœnitentiæ laboribus exercebantur, hi erant parum loqui, jejunare, abſtinere ab uſu conjugii, orationi, & ſacræ Lectioni

ctioni vacare, vigilare, confiteri delicta ſua? Hinc illa S. Cyrilli Hieroſolymitani in præfatione ad ſuas Catecheſes exhortatio ad Catechumenos,poſtquam nomen dederant. *Intraſti eo loco dignus habitus: nomen tuum inſcriptum eſt, ſatis longum habes intervallum, cùm pœnitentia quadraginta dierum tibi datur &c.* Et ſub finem primæ Catecheſis. *Otioſa loqui multa recuſa, ac neque ipſe detrahas, nec detrahentem alicui audi, ſed potius in precationibus aſſiduus eſto. Sacris lectionibus animam tuam recrea.* Et ante Cyrillum Tertullianus in lib. de Bapt. cap. 20. *Ingreſſuros Baptiſmum, orationtionibus crebris, jejuniis, geniculationibus, & pervigiliis orare oportet, & cum confeſſione omnium retro delictorum, ut exponant etiam Baptiſmum Joannis.* Ad hanc confeſſionem delictorum hortatur baptizandos S. Gregorius Nazianz. ſerm. in Sanctum lavacrum. Eandem peractam fuiſſe à Conſtantino, antequam baptizaretur, refert Euſebius lib. 4. de vita Conſtantini cap.6. & peractam ab aliis ſimiliter, refert Socrates lib. 5. hiſtor. Eccl. cap. 17. A concubitu etiam licito abſtinere eos debuiſſe, dicit S. Auguſtinus in libro de Fide, & Operibus cap. 6.

19 His probabatur Catechumenus, perque hos gradus ad Baptiſmum perveniebat, nempe per

per humilitatem, qua pulſabat Eccleſię fores confitens, ac deflens peccata ſua, en primus gradus; per conſtantiam audiendi ſacram Doctrinam, en ſecundus gradus; per expiationem veteris hominis ſub illis tot myſteriorum, rituumque ſcrutiniis, eo tempore, quo variis pœnitentię laboribus exercebantur, celebratis, en tertius gradus; per ſtudium demum ſacrę lectionis, & orationis, en quartus gradus.

Per hos ſimiliter gradus, ex ratione quam dicebam, eniti ad reconciliationem, & ad baptiſmum pœnitentię debuerunt hi, qui poſt ſuſceptum Baptiſmum regenerationis, fuerant in vitam, & mores ethnicorum relapſi. Et primò flendum ipſis fuit ante fores Templi, manifeſtandæ toti populo, aut publicâ confeſſione, aut ipſo habitu lugubris pœnitentię, culpę commiſſę. En primus gradus fletus. Audienda fuit iterum doctrina fidei cum ethnicis, & animo altiùs infigenda mandata Dei. En alter gradus Auditionis. Iterum repurgandus animus ſcrutiniis, precibus, lachrymis, ritibus Sacerdotum imponentium manus capiti proſtrato. En tertius gradus proſtrationis. Precibus tandem totius Eccleſię, & communione Fidelium juſtorum, demerenda Dei clementia. En quartus gradus conſiſtentię, ſeu communis orationis.

20 In-

20 Intelligis jam quid moverit Patres ad has Pœnitentibus leges injungendas, ſtatuendumque ut eadem eſſet Catechumenorum, ac Pœnitentium diſciplina. Perſuaſum voluere omnibus, malos Chriſtianos non eſſe ab Ethnicis diſcretos, imò eſſe omnibus Ethnicis pejores. Hinc tempus Pœnitentiȩ longè majus eſſe voluere, quam Catechumenatus. Voluerunt quidem iiſdem gradibus inſiſtere Catechumenos & Pœnitentes, eadem utroſque, aut proxima in Templis loca occupare, ut ea permiſtione aut proximitate, Pœnitentes deprimerentur magis, & pudore ſuffunderentur. At longè diutiùs in ſingulis morari Pœnitentes voluere. Pulſabant fores Eccleſiæ Ethnici, ut ſaltem ad audiendam ſacram doctrinam admitterentur, & admittebantur ſtatim; pulſabant eaſdem Pœnitentes, ut etiam ipſi ad Auditionem admitterentur, ſed ipſis fores non patebant illicò, imò annos, & annos ſub dio in hoc primo gradu fletus detinebantur. Poſt biennii imò aliquorum menſium aut dierum Auditionem in pleriſque Eccleſiis ad tertium gradum ſcrutinii, & expiationis vocabantur Catechumeni. Vix poſt tres, quatuor, & quinque annos, ad eundem ſubſtrationis gradum aſcendere permittebantur Pœnitentes. Poſt aliquot dierum ſcrutinium, & pœnitentias, cœtibus Fidelium miſcebantur illi, &

per

per Baptiſmum id quod expetierant, aſſequebantur. Hi verò ad communionem orationis, & poſtea Sacramentorum, vix poſt fletum, vigilas, jejunia, & ſcrutinia quindecim aut viginti annorum perveniebant.

21 *Cler.* At ipſe in Clerico Romano lib. 1. diſp. 9. oſtendiſti, paractas minimè fuiſſe tam longas, & operoſas pœnitentias.

Auct. Perravò videntur fuiſſe peractæ, ut iterum oſtendam infra; ſed hìc non doceo, ut ſupra monui, quid factum fuerit, ſed quid injunctum, aut propoſitum, ut fieret ab iis qui commiſſa delicta vellent in hac vita penitus expiare, vel deberent etiam, ſi cum ingenti aliorum ſcandalo deliquiſſent, nec alia ratione poſſent huic malo mederi, & Eccleſiæ ſatisfacere.

Cler. Conſenſerunt ne in hoc omnium Eccleſiarum Paſtores?

Auct. Id mandant, aut monent certè multi, præſertim quarti quintique ſæculi Epiſcopi, ut Pœnitens, in omnibus ferè criminibus, plurium annorum pœnitentiam, eamque in illis quatuor, aut tribus, aut ſaltem duobus, plenis pudore & labore ſtationibus, peragat. Eandem tamen temporis menſuram non omnes conſtituunt, ut mox audies.

22 S. Gregorius Epiſc. Neocæſar. in cauſa eorum qui in quadam Barbarorum incurſione ipſis

ipſis quodammodò adjunxerant ſeſe, & quæ illi eis regionibus damna intulerant, ſuis latrociniis eâ occaſione commiſſis, per ſummam impietatem, ut paulò ante dixi, cumulaverant, ſic definit can. 8. *Eos qui alienas domos aggredi auſi ſunt, ſi accuſati quidem convicti fuerint, nec auditione dignos exiſtimate*; ideſt, ut interpretatur Balſamon, nec admittendi ſunt intra Eccleſiam ſtatim, ſed conſiſtere debent in primo gradu cum flentibus, & ab eo incipere pœnitentiam, *ſin autem ſe ipſos enunciaverint, & reddiderint quod ſuſtulerunt, in eorum qui convertuntur ordinem ſubſterni* debent, ideſt ſi accuſaverint ſe ipſos, damnentur ad breviorem pœnitentiam, quam proindè à tertio proſtrationis gradu incipient. Et can. 9. *Eos qui in campo aliquid invenerunt, vel in ſuis ædibus à Barbaris relictum, ſi accuſati quidem convicti fuerint, ſint ſimiliter in iis, qui ſubſternuntur; ſin autem ſe ipſos enunciaverint, & reddiderint* quod ſuſtulerunt, *etiam precibus digni habeantur*, ideſt ad quartum, & ultimum gradum ſtatim aſcendant, utpotè minoris culpæ rei, & aliquâ indulgentiâ digni per eam ſpontaneam ſui delicti confeſſionem. Quandiù verò deberent hi in his gradibus conſiſtere, Sanctus Antiſtes non definit, veluti non admodum ſollicitus de duratione, ſed de modo pœnitentiæ.

23 Con-

23 Contra de duratione magis ſollicitus videtur fuiſſe S. Petrus Alexandrinus Epiſcopus, & Martyr. Cum enim jam quartum annum perſecutio eam Eccleſiam perturbaret, & multi lapſi eſſent, ſed lapſu inæquali, ita ſingulis, pro merito culpæ, pœnitentiam imponit, ut ſolum tempus definiat, non autem locum, ſeu ſtationem, in quâ eam peragerent, id ipſe decreturus pro diversâ pœnitentium diſpoſitione, vel ſuis Presbyteris Pœnitentiariis id decernendum relinquens. Nam Can. 1. mandat ut qui poſt multa tormenta carnis imbecillitate victi ſacrificaverant, & poſteà tres annos pœnitendo tranſegerant, alios quadraginta dies pœniteant, & poſteà admittantur. Can. 2. vult, ut qui in cuſtodia ſolùm male tractati ſunt, & ſine tormentis lapſi, poſt triennium alterius quoque anni pœnitentiâ curentur.

24 Sanctus verò Baſilius, de modo, & de tempore ſollicitus, utrumque determinat. Et quidem circa modum vult, pœnitentem aut in omnibus, aut ferè omnibus delictis, quæ punit, per omnes illos quatuor gradus pervenire ad perfectionem, ut dicebant, nempè ad communionem Euchariſtiæ, nec per ſaltum ad altiora conſcendere, circa verò tempus, non eſt brevi contentus, ſed annos & annos detineri eum in ſingulis gradibus præcipit.

25 S. Gregorius Nyſſenus in ſuâ ad Letojum Melitenſem Epiſcop. Baſilio ſeverior, fornicarii pœnam dicit eſſe novem annorum per ſuos gradus diſtributam: hanc duplicat in adulterio, & coitu cum brutis. Homicidam vult novem annorum ſpatio deflere ante Eccleſiam ab omnibus ſegregatum; aliis novem ſolùm audire ſacram lectionem, & aliis novem proſterni, adeòque pœnitentiam ad viginti ſeptem annos protrahere. Eandem pœnitentiam latronibus homicidia ſemper committere paratis imponit.

26 Adhuc ſeverior fuit Amphilochius Epiſcopus, qui carnis ſpurcitias quamvis ex aliquâ ignorantiâ commiſſas, & ſpontè ab ipſo reo accuſatas, triginta annorum pœnitentiâ punivit, & fortè diutiùs puniviſſet, niſi obſtitiſſet S. Baſilius, qui in prælaudata ad eum Epiſtola Can. 7. ſic habet. *Maſculorum, & animalium initores, & homicidæ, & venefici, & adulteri, & Idololatræ, eâdem condammatione digni habentur. Quare quam in aliis habes formam, in iis quoque ſerva. Eos autem qui in triginta annis, propter immunditiam, pœnitentiam egerunt, quam ignorantiâ fecerunt, recipi abſque dubio oportebat, nam & ignorantia eos veniâ dignos facit, & ſpontanea confeſſio, & temporis diuturnitas; ferè enim totâ hominis ætate Satanæ traditi ſunt, ut diſcant non ſe turpiter*

gere-

gerere: quare jube eos abſque dilatione ſuſcipi, maximè ſi lacrymas habeant, quæ tuam clementiam moveant, & vitam miſericordiâ dignam oſtendant.

27 Verùm, ſi ipſe tandiù hos puniri noluit, ne ferè tota ætate manerent Satanæ traditi, nempè excommunicati, cur etiam ipſe tam longas pœnitentias indixit, eamque præſertim Canonis 71. & 73. quin etiam reliquorum; nam cum hæ pœnitentiæ juvenibus non imponerentur facilè, ſed viris, horum plerique manſiſſent uſque ad mortem Sacramentorum uſu privati, ac proindè Satanæ traditi: is enim dicebatur à Patribus Satanæ traditus, cui eſſet uſus Sacramentorum interdictus, licet non eſſet penitus abſciſſus: non enim Amphilochius impuros illos viros totis triginta annis anathematis ſententiâ innodatos detinuit, quin hæc pœna ceſſabat, ſtatim ac reus, depoſitâ contumaciâ, ſe pœnitentibus aggregabat. Et confirmatur ex S. Leonis Epiſtola 87. ad Epiſcopos per Viennenſem Provinciam conſtitutos, ubi Sacramentorum Communione privati, & per hoc *omni munimine exuti*, dicuntur *Diabolicis incurſibus objecti. Nulli Chriſtianorum* (inquit S. Pontifex) *facilè communio denegetur, nec ad indignantis fiat hoc arbitrium Sacerdotis, quod in magni reatus ultionem invitus, & dolens quo-*

dammodo debet inferre animus vindicantis. Cognovimus enim pro commiſſis, & levibus verbis quoſdam à gratiâ communionis excluſos, & animam pro quâ Chriſti Sanguis effuſus eſt, irrogatione tam ſævi ſupplicii ſauciatam, & inermem quodammodo, exutamque omni munimine, Diabolicis incurſibus, ut facilè caperetur, objectam. Quare augetur ea dubitatio, quam alibi inieci, an S. Baſilius tandiù procul à Sacramentis pœnitere voluerit eos quos in eâ ſuâ Epiſtola caſtigat.

Quin dubitari etiam fortè poſſit, an etiam reliqui Græci Patres tot annorum laboribus curari pœnitentes voluerint omninò, cùm longè minor ſit ſeveritas eorum ipſorum Conciliorum, quæ fuerunt antea, vel poſtea in eadem Eccleſia Græca celebrata. Quis enim credat, aut prædictos Patres à Conciliis diſcordaſſe, aut Concilia earum ipſarum regionum ab ipſis, nempè à Patribus ſummo ſemper in honore habitis ab utraque Eccleſia, & præſertim à Græca? Hæc obiter dixerim; nam quæram lib. ſequ. an Patres prædicti voluerint tantum onus imponi, quantum imponere videntur Canones ipſis attributi, quos ſi noſſe cupis omnes, adi Balſamonem, qui, ut paulò ante dicebam, eos collegit, & interpretatus eſt.

Cler. Hunc Auctorem non habeo, nec com-

comparare facilè poſſum. Si memoria collectos tenes horum Græcorum Patrum, quos laudaſti, Canones, quæſo, recita.

Auct. Nolebam tam longa recitatione tedium tibi facere, at, quoniam aves eos audire, accipe.

CAPUT IV.

Græcorum aliquot Patrum, nempè S. Petri Alexandrini, S. Gregorii Thaumaturgi, S. Baſilii, & S. Gregorii Nyſſeni Canones Pœnitentiales.

§. I.

1 CAnonum S. Petri Archiepiſc. Alex. quoniam longiores ſunt, ſummam dabo.

Primo Canone jubet, eos, qui poſt multa tormenta ex imbecillitate ceſſerant hoſtibus fidei, & ſacrificaverant, jamque trium annorum pœnitentiam peregerant, aliis quoque quadraginta diebus manere in pœnitentia, & ſic admitti.

Can. 2. Eos qui ſolo carceris ſquallore afflicti lapſi erant, poſt triennium pœnitentiæ jam peractæ, alterius quoque anni pęna puniri, jubet.

Can. 3. Triennali pœnitentia caſtigat eos, qui nihil tale paſſi, ſolo metu victi fuerant.

Can. 4. Eos qui poſt lapſum non recurrebant ad remedia pœnitentiæ, execrabiles eſſe, dicit, tauquam eam ficulneam infructuoſam, cui Chriſtus in Evangelio maledixit.

Can. 5. Semeſtri pœnitentia caſtigat eos, qui ſimularant accedere ad aras, vel ſcribere, quod fidem negabant, non nudè autem & apertè hoc fecerant, ſed arte aliqua eos, qui vim afferebant, deluſerant.

Can. 6. Servos qui dominorum juſſu, ac minis compulſi ſacrificarant, anno punit.

Can. 7. Dominis, qui ſervos ſacrificare coegerant, & ipſi ſacrificare ſimularant, triennii pœnam injungit.

Can. 8. Mandat, ut recipiantur illi, qui lapſi in quæſtione fidei, ſed poſtea pœnitentia ducti, fortiter ſe Chriſtianos eſſe profeſſi erant, & in carcerem traditi tormenta quoque ſuſtinuerant.

Can. 9. Recipi ſimiliter mandat eos qui temere ſe tyrannis ſeu tortoribus obtulerant ſe, ignorantes, non licere his ſe periculis objicere, & hoſtes fidei in ſe, & in alios Fideles irritare.

Can. 10. Arcet à ſacro Miniſterio eos Clericos qui ſpontè ac temere Fidei certamen ingreſſi, poſtea tormentis victi, lapſi erant, quamvis

vis novâ fidei confeſſione lapſum emendaſſent, quia videlicet non debebant ſe periculo exponere, & ſibi commiſſam populi docendi curam deſerere. Admitti tamen eoſdem vult ad communionem cum Fidelibus, ne ſi hac quoque priventur, alii qui lapſi ſunt, reſurgere negligant.

Can. 11. Vult preces & alia pia opera Deo offerri pro iis qui ſponte certamen ingreſſi, & poſtea lapſi in tormentis, pœnitentiam egerant; nec vult, eos Fidelium communione privari.

Can. 12. Docet, non eſſe reprehendendos eos qui ſeipſos datis pecuniis torturâ liberarant, maluerantque ſuæ pecuniæ quam ſuæ animæ jacturа facere.

Can. 13. Negat ſimiliter, eſſe culpandos eos, qui relictis ſuis facultatibus receſſerant, timentes ne vi tormentorum abnegare fidem cogerentur, etiamſi alii detenti eſſent, & puniti propter ipſos. Subintellige, *ſervatis ſervandis*.

Can. 14. Docet, poſſe manere in ſacro miniſterio, & collocari inter Confeſſores, eos qui profano ſacrificio adeſſe, & ex idolothytis carnes comedere & vinum bibere coacti fuerant, ore videlicet violenter aperto, ingeſtoque cibo, & potu ſacrilego; cum interea ſibi manus uri, aliiſque modis torqueri ſe, ſinerent, nec ullo

modo miniſtrorum improbitati annuere ſe, ſignificarent.

Can. 15. & ultimo dicit, citra omnem reprehenſionem ſervari in ea Eccleſia traditionem & præceptum jejunii quartæ, & ſextæ feriæ.

Hi Petri Alexandrini Canones ſunt, nec, ut vides, ſunt admodum ſeveri. Severiores condidit Gregorius Thaumaturgus in vindictam & curationem eorum ſcelerum, quæ, ut ſupra dicebam, commiſſa à quibuſdam fidelibus per ſummam impietatem fuerant, occaſione barbaricæ incurſionis.

§. II.

Canones S. Gregorii Thaumaturgi.

2 PRimo Canone dicit, non eſſe laborandum de iis qui idololytha, ſibi a ſuis Dominis appoſita, comederant; cùm præſertim conſtans fama eſſet, barbaros in ea incurſione idolis non ſacrificaſſe, nec ſimiliter damnandas eas captivas mulieres, quibus per vim barbari erant abuſi, niſi jam antea & aliunde prava fuiſſet ipſarum vita.

Can. 2. Abdicat, ideſt ejicit ab Eccleſia eos qui ex impia quadam avaritia rapuerant ea, quæ

ex

ex barbarica deprędatione relicta fuerant, veluti conſummantes impietatem barbarorum, putanteſque, eſſe ſibi lucri tempus quod erat exitii communis.

Can. 3. Idem delictum ab impiis his furibus commiſſum exaggerat, docetque, eſſe habendum tanquam Deo dedicatum quidquid reperitur à nobis quod noſtrum non eſt, ſed alienum.

Can. 4. Pergit expendere prædicti furti gravitatem.

Can. 5. Damnat eos qui aliena quæ repererant, retinebant, loco rerum propriarum, quas in ea calamitate amiſerant.

Can. 6. Mandat inquiri, an verum eſſet quod audierat, nempe aliquos eius regionis Chriſtianos auſos vi detinere captivos, qui ex barbaris fugiebant, quod dicit eſſe factum impium & incredibile.

Can. 7. Dicit nec eſſe admittendos ad divinarum laudum auditionem eos Chriſtianos, qui poſtquam captivi facti ſunt, barbaris conſenſerant, & cum eis, veluti barbari effecti, ſui generis Chriſtianos interfecerant, vel vias barbaris ignotas, & ad Chriſtianos ducentes oſtenderant.

Can. 8. Incipit magis determinatè pœnas taxare, eos proinde qui alienas domos invadere auſi fuerant, ſi accuſati convincerentur, nec audi-

auditione dignos eſſe pronunciat. Sin autem ſe ipſos enunciaſſent, referri debere in numerum Pœnitentium ſecundæ claſſis, nempe audientium.

Can. 9. Mandat, ut qui in campo vel in ædibus aliquid à Barbaris relictum invenerant, ſi accuſati convicti fuiſſent, referrentur in Ordinem Pœnitentium tertiæ claſſis, nempe ſubſtratorum.

Can. 10. Docet, debere eos qui res alienas invenerant, eas reddere ſine lucro, nec aliquid exigere veluti pretium inventionis, vel cuſtodiæ.

Can. 11. & ultimo ſtatuit locum Pœnitentium ſecundum diverſos illos quatuor pœnitendi gradus, hoc modo. *Fletus, ſeu luctus eſt extra portam Templi, ubi peccatorem ſtantem oportet Fideles ingredientes orare, ut pro ſe precentur. Auditio eſt intra portam in porticu, ubi oportet, eum qui peccavit, ſtare uſque ad catechumenos, & illinc egredi. Audiens enim ſcripturas & doctrinam ejiciatur, & precatione indignus cenſeatur. Subjectio autem, ſeu ſubſtratio eſt, ut intra Templi portam ſtans cum catechumenis egrediatur. Congregatio, ſeu conſiſtentia eſt, ut cum Fidelibus conſiſtat, & cum catechumenis non egrediatur: poſtremò eſt participatio Sacramentorum.*

§. III.

§. III.

Canones S. Baſilii.

3 SAnctus Baſilius Archiep. Cœſareæ Cappadociæ ad Amphilochium Iconii Epiſcopum à quo conſultus fuerat, reſcribens quæſtionibus de moribus & de punitione delinquentium ab eo propoſitis, per Canones octoginta quinque reſpondet. Sunt autem qui ſequuntur, omiſſo primo quo agitur de aliquibus Hæreticorum ſectis, eorumque legitimo, aut illegitimo Baptiſmo, & de Schiſmaticis, & celebrantibus illegitimos conventus, ac de ratione agendi cum utriſque.

Can. 2. *Quæ de induſtria fœtum corrupit*; abortum faciens *cœdis pœnas luat &c. Oportet autem non uſque ad obitum eorum confeſſionem extendere, ſed decem quidem annorum menſuram admittere; definire autem non tempore, ſed modo pœnitentiæ medicinam* oportet. Scilicet hoc tempus decennii contrahendum, aut protrahendum eſt pro menſura doloris, & humilitatis, quam Pœnitens oſtendit.

Can. 3. *Diaconus poſt diaconatum fornicatus à diaconatu quidem ejicietur, in laicorum autem locum extruſus à communione non arcebi-*

tur

tur &c. In fine monet, ſcire Epiſcopum debere *quæ ſunt ſummi juris, & quæ ſunt conſuetudinis*, ut videlicet pœnas ſummo jure ſtatutas temperare ſciat ex conſuetudine, ſi præſertim qui deliquit, ſit emendatus, nam, inquit, *verior eſt medicina receſſus à peccato*.

Can. 4. *Trigamorum, & polygamorum eundem Canonem definiimus &c. Oportet autem non eos omnino arcere ab Eccleſia, ſed dignari auditione duobus, vel tribus annis, & poſtea permitti quidem conſiſtere, ſeu in Fidelium eſſe congregatione, à boni tamen* (ideſt Euchariſtiæ] *communione abſtinere, & ſic poſtquam aliquem pœnitentiæ fructum oſtenderint, communionis loco reſtituere*.

Can. 5. *Hæreticos qui in exceſſu è vita pœnitentiam agunt, recipere oportet, recipere autem non ſine judicio, ſed examinantes, an veram pœnitentiam oſtendant, & ſi fructus habent, qui ſalutis ſtudium teſtificentur*.

Can. 6. *Canonicorum fornicatio pro matrimonio non reputetur &c.* Canonicos dicit (inquit Balſamon) Clericos, Monachos, Monachas, & quæ virginitatem profeſſæ ſunt.

Can. 7. *Maſculorum, & animalium initores, & homicidæ, & venefici, & adulteri, & idololatræ eadem condemnatione digni habentur &c.*

Can. 8.

Can. 8. *Qui ſecuri in ira adverſus uxorem ſuam uſus eſt, eſt homicida &c.* Hic fusè diſſerit de homicidio voluntario, & involuntario.

Can. 9. *Domini dictum ſecundum ſententiæ conſequentiam ex æquo & viris, & mulieribus convenit, quod non licet à matrimonio diſcedere præterquam propter fornicationem &c.* Hic diſſerit de divortio.

Can. 10. *Qui jurant, ſe ordinationem non admittere, ejurantes ne cogantur pejerare &c.* Ideſt non cogantur ordinationem ſuſcipere, & ſolvere vinculum quod ſibi injecerunt. Monet autem eſſe expendenda verba jusjurandi, an ſit verum juramentum, & alia ſubdit quæ ad vindictam peccatorum aut pœnitentiã non pertinent.

Can. 11. *Qui involuntariam cædem fecit in undecim annis abunde judicio ſatisfecit.* Hic definit qui cenſendus ſit mortuus ex accepto vulnere, qui ex alia infirmitate.

Can. 12. *Digamos Canon omnino à miniſterio excluſit.*

Can. 13. *Cædes in bellis factas Patres pro cædibus non reputavere, ut mihi videtur, ignoſcentes iis, qui pro pudicitia, & pietate decertant. Rectè autem fortè habet conſulere, ut qui ſunt manibus non puris ſola trium annorum communione abſtineant.* Hic hortatur ferè omnes milites ad triennalem pœnitentiam.

Can. 14.

Can. 14. *Qui uſuras accipit, ſi injuſtum lucrum in pauperes conſumere voluerit, & ab avaritiæ morbo deinceps liberari, eſt ad ſacerdotium admittendus.*

Can. 15. & 16. Solam continent explicationem quorundam verborum Scripturę, circa quæ quæſtionem injecerat in ſua epiſtola Amphilochius.

Can. 17. *Interrogaſti nos de Bianore Preſbytero, an propter jusjurandum ſit in Clerum ſuſcipiendus &c.* Is propter Infidelis cujuſdam minas nefarium jusjurandum cum aliis Sacerdotibus Antiochiæ jurarat. Reſpondet autem, poſſe hunc privatim obire Presbyterorum munera, non autem in publicis conventibus, idque fuiſſe Antiochiæ decretum, dicit.

Can. 18. *De lapſis virgintibus &c. Patres quidem clementer, & leniter in eorum qui laborant infirmitatem ſe gerentes, eſſe admittendas ſanxerunt poſt annum pœnitentiæ.* Ipſe verò vult eas puniri tanquam adulteras. Monet autem non eſſe habendam ratam & firmam ejus virginis profeſſionem, quæ non ſit ſedecim, vel ſeptendecim annos nata, diuque probata, ſubditque, *Multas enim Parentes, & fratres aut cognati offerunt ante ætatem, non ex ſeipſis ad cœlibatum incitatas, ſed ſæculare quippiam procurantes, quas nou facilè admittere oportet, donec apertè propriam ſuam ſententiam perſcrutati fuerimus.*

rimus. Reddit autem eam rationem, propterquam Virgines prædictæ ſint majori pœna afficiendæ quam fuerat antea decretum, quod *Dei gratia Eccleſia fortior fieret, ut ei videbatur, & ordo Virginum augeretur*.

Can. 19. *Virorum quoque profeſſiones non novimus, præterquam ſi qui ſe ipſos Monachorum ordini adjudicarint, qui tacitè videntur cęlibatum admittere, ſed illis quoque illud exiſtimo præcedere oportere, ut ipſi interrogentur, & evidens ipſorum accipiatur profeſſio, ut poſtquam ſe ad libidinoſam, & voluptuariam vitam converterint, eorum qui fornicantur punitioni ſubjiciantur*. Quæ autem ſit pœna fornicationis, & adulterii docet poſtea.

Can. 20. *Quæcunque mulieres, cùm eſſent hæreticæ, virginitatem profeſſæ ſunt, deinde poſtea matrimonium maluerunt, non exiſtimo, eas oportere condemnari. Quæcunque enim dicit lex, iis dicit qui ſunt in lege. Quæcunque autem jugum Chriſti nondum ſubjerunt, ea nec Domini leges norunt &c.*

Can. 21. Qui obſcurior eſt, dicit conſuetudinem intellectu difficilem invaluiſſe, ut vir dimittat uxorem adulteram, ipſe verò, ſi aliam fœminam ſolutam cognoverit, non dimittatur tanquam adulter; hunc tamen puniri docet non ut reum ſimplicis fornicationis, ſed pœna majori. Can. 22.

Can. 22. *Eos qui ex raptu habent mulieres, ſi aliis quidem deſponſas abripuerint, non priùs oportet admittere, quàm ab eis ablatæ ſint, & ſit in eorum poteſtate, quibus deſponſæ fuerant, an eas velint accipere, an deſiſtere. Si quis autem vacantem* (ideſt deſponſatam) *acceperit, auferre quidem opportet, & ſuis reſtituere, illorum autem ſententiæ permittere, ſivè ſint parentes, ſive fratres, ſive quicunque alii virgini præſint, & ſi ei quidem tradere voluerint, matrimonium conſtituere, ſin autem renuerint, non cogi. Ei autem qui mulierem vel vi, vel clam à ſe vitiatam habet, neceſſe eſt fornicationis pœnas imponere. Eſt autem in quatuor annis præſinitum fornicatoribus ſupplicium. Oportet autem eos anno primo à precibus expelli, & ipſos deflere ad fores Eccleſiæ, ſecundo autem ad auditionem admitti, quarto ad congregationem cum populo, abſtinentes ab oblatione, deindè eis permitti boni communionem.*

Can. 23. *De his autem qui duas ſorores uxores ducunt, vel eis, quæ duobus fratribus nubunt, à nobis edita eſt epiſtola, cujus exemplum tuæ pietati miſimus, qui autem ſui fratris uxorem accepit, non priùs admittetur, quàm ab ea receſſerit.* Epiſtola, cujus exemplum à ſe miſſum dicit, eſt ad Diodorum, in qua ſic habet. *Si quis affectu immunditiæ correptus ad illicitam duarum*

rum uxorum communicationem exorbitaverit, id neque conjugium eſſe cenſendum, neque talem ad Eccleſiaſticum cœtum admittendum, priuſquam à ſe invicem dirimantur.

Can.24. *Viduam, quæ in viduarum numerum relata eſt, hoc eſt, quæ ab Eccleſia in Diaconatum ſuſcepta eſt, cenſuit Apoſtolus nubentem eſſe deſpiciendam* (hoc eſt ab Eccleſia expellendam, ut interpretatur Balſamon.) *Viro autem viduo nulla eſt res impoſita, ſed ſufficit eis digamorum pœna*, (quæ erat ad unum annum ſegregatio). *Porro vidua ſexaginta annos nata, ſi rurſus cum viro habitare voluerit boni communione non dignabitur, donec ab impuritatis perturbatione ceſſaverit. Sed ſi ante ſexaginta annos eam in numerum retulerimus, noſtra eſt non mulieris culpa*, ſi hæc poſt ordinationem nubat.

Can.25. *Qui à ſe ſtupratam mulierem detinet, ſtupri quidem pœnam ſubibit, ei autem mulierem habere permittetur.*

Can.26. *Fornicatio non eſt matrimonium, ſed nec initium matrimonii. Quare, ſi fieri poſſit, ut qui per fornicationem conjunguntur, ſeparentur, id eſt melius. Sin autem eis omnino placeat conſortium, fornicationis quidem pœnam agnoſcant: ne ſeparentur autem, ne quid deterius accidat.*

Can. 27. *De Presbytero qui per ignorantiam nefariis nuptiis implicitus eſt*) eam ducendo quam ducere non poterat) *definivi quæ oporteat, eſſe ſcilicet cathedræ participem*, (ut ſcilicet ſedeat cum Presbyteris) *à reliquis autem actionibus abſtinere: ei enim ſufficit, ut veniam conſequatur. Ut is autem aliis benedicat qui ſua debet vulnera curare, non eſt conſentaneum. Benedictio enim eſt ſanctificationis communicatio; qui autem eam non habet propter ignorantiæ lapſum, quomodo aliis communicabit? Nec ergo publicè, nec privatim benedicat, nec Chriſti corpus aliis impertiat, nec aliquod aliud ſacrum miniſterium obeat, ſed quod præſideat contentus aliis & Chriſto defleat, ut ſibi ignorantiæ peccatum condonetur.*

Can. 28. *Illud quidem mihi viſum eſt ridiculum vovere aliquem à carnibus ſuillis abſtinere. Quamobrem dignare eos docere, ut ab ineptis votis, & promiſſis abſtineant; uſum quidem eſſe indifferentem permitte. Nulla enim Dei creatura eſt rejicienda, quæ cum gratiarum actione accipitur. Quare votum eſt ridiculum, non abſtinentia neceſſaria.*

Can. 29. *Id quoque quod eſt, jurare principes, quod ſubjectis male facturi ſint, magna medicina opus habet* (ideſt magna curatione) *Medela autem eorum eſt duplex; una quidem, ut*

ipſi

ipſi doceantur non facilè jurare. *Altera*, *ne in malis judiciis perſiſtant &c.* ideſt ne faciant quod malum eſt, & malè jurarunt ſe facturos, ut ſi quis jurarit, *ſe fratris oculos effoſſurum*, ut infra dicit, id certè facere non debet.

Can. 30. *De his qui rapiunt, Canonem antiquum non habemus, ſed propriam ſententiam proferimus, ut ipſi, & qui cum eis rapiunt, tribus annis ſint extra orationes. Quod autem violenter non ſit, nulli eſt pœnæ obnoxium, quando nec ſtuprum, nec furtum rem præceſſerit, eſt autem vidua ſui juris, & in ejus eſt poteſtate ſequi.* Ideſt (inquit Balſamon) *ſi mulier ſe ipſam ſua ſponte tradiderit, cùm nec ſtuprum, nec furtum, hoc eſt clandeſtinus concubitus præceſſerit, nulli eſt crimini obnoxius qui eam accepit. Similiter nulli quoque pœnæ eſt ſubjectus qui viduam hoc modo recepit.*

Can. 31. *Quæ, cùm vir ſeceſſit, & non apparet, antequam de ejus morte certior facta ſit, cum alio cohabitavit, mœchatur.*

Can. 32. *Qui peccatum ad mortem peccant Clerici, de gradu quidem dejiciuntur, à Laicorum autem communione non arcentur. Non enim vindicabis bis in idipſum*. Peccatum ad mortem vocat S. Pater, ut interpretatur Balſamon, *omne peccatum, quod capitale inducit ſupplicium*.

Can. 33. *Mulier quæ in via peperit, & ſui*

fœtus curam non geſſit, cædis crimine teneatur.

Can. 34. *Adulterio pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem*, (ideſt ſponte, ut explicat idem interpres) *vel quomodocunque convictas publicare quidem Patres noſtri prohibuerunt, ne convictis mortis cauſam præbeamus. Eas autem ſtare ſine communione juſſerunt, donec impleretur tempus pœnitentiæ.* Adulteri ſtare debebant quatuor annis cum deflentibus, quinque cum audientibus, quatuor cum ſupplicibus, ſeu ſubſtratis, & duobus cum iis qui conſiſtunt abſque communione. Noluerunt autem Patres occulto adulterio pollutas ad iſthæc quatuor loca amandari, ne inde pateret earum crimen, & â maritis occiderentur.

Can. 35. *In marito qui ab uxore relictus eſt, conſiderare oportet cauſam derelictionis, & ſi præter rationem eam receſſiſſe apparuerit, eſt maritus quidem dignus veniâ, illa verò pœnâ. Ei autem venia, ut Eccleſiæ communicet, dabitur.*

Can. 36. *Militum uxores, quæ cùm mariti ipſarum non appareant, nupſerunt, eidem rationi ſubjiciuntur, cui & quæ propter maritorum peregrinationem, ac abſentiam, reditu non expectato, nupſerint. Sed res nonuullam hic veniam admittit, quod major ſit mortis ſuſpicio.* Et propter hoc is Canon differt à Can. 31. ibi enim nō agitur de viro milite, de quo hic agitur.

Can. 37.

Can. 37. *Qui poſtquam aliena ei ablata fuerit, uxorem duxit, in prima quidem adulterii accuſabitur, in ſecunda verò reus non agetur.* Ideſt punietur tanquam adulter propter primam quam duxit, & deſerere coactus fuit, quia erat aliena, nempe alteri juncta, non autem propter ſecundam quam duxit in uxorem. Id autem dixit, propter eos, qui adulteris in pœnam commiſſi adulterii nuptias interdicebant.

Can. 38. *Puellis, quæ præter patris ſententiam fornicatores ſecutæ ſunt, reconciliatis parentibus, videtur res remedium concedere, ſed non protinus ad communionem reſtituuntur, ſed triennio punientur.*

Can. 39. *Quæ vivit cum adultero, eſt omni modo adultera.* Agit de muliere quæ non eſt uxor ejus qui adulterium commiſit, nam uxor utique cohabitare poteſt cum conjuge adultero.

Can. 40. *Quæ præter domini ſententiam ſe viro tradidit, fornicata eſt, quæ autem poſtea libero matrimono uſa eſt, nupſit.* (Ideſt ſi poſtea dominus conſenſit, vel liberam contrahendi facultatem dedit, tunc matrimonium conſiſtit.) *Quare illud fornicatio, hoc matrimonium. Eorum enim qui ſunt in alterius poteſtate, pacta conventa firmi nihil habent.*

Can. 41. *Quæ in viduitate habet ſui poteſtatem, & viro cohabitat, ab omni accuſatione*

eſt libera, ſi nemo eſt qui conjugium divellat, cum dicat Apoſtolus, ſi mortuus ſit maritus, libera eſt, ut nubat, cui velit tantùm in Domino.

Can. 42. *Quæ ſine iis, qui habent poteſtatem, fiunt matrimonia, ſunt fornicationes. Nec ergo vivente patre, nec domino, ii qui conveniunt, ſunt ab accuſatione liberi, donec conjugio domini annuerint; tunc enim accipit firmitatem conjugium.*

Can. 43. *Qui mortis ictum dedit proximo, eſt homicida, ſive prior percuſſit, ſive ultus eſt,* ac proinde homicidii pœna puniendus.

Can. 44. *Diaconiſſa quæ unà cum Græco* (ideſt cum homine fideli, & baptizato) *fornicata eſt, non eſt ad communionem admittenda; ad oblationem autem ſeptimo anno admittetur, ſcilicet ſi in caſtitate vitam agat: Græcus autem qui poſt fidem rurſus ad ſacrilegium accedit, ad vomitum revertitur. Nos vero Diaconiſſæ corpus, ut conſecratum, eſſe in uſu carnali non ampliùs permittimus,* & ideo prædictum Græcum qui poſt Baptiſmum redit ad vomitum & ad mores Ethnicorum, audetque coire cum Diaconiſſa Deo conſecrata, ut reum ſacrilegii punit.

Can. 45. *Si quis accepto nomine Chriſtianiſmi, Chriſtum contumelia afficit* (vivendo more Ethnicorum) *nulla eſt illi appellationis utilitas.*

Can. 46.

Can. 46. *Quæ per ignorantiam nupſit ei, qui ab uxore ad tempus derelictus eſt, deinde dimiſſa eſt, ut prior* (uxor) *ad ipſum revertatur, fornicata quidem eſt, ſed per ignorantiam. A matrimonio ergo non prohibebitur, ſed melius eſt, ſi ſic manſerit.*

Can. 47. Dicit eſſe rebaptizandos quoſdam Hæreticos, quamvis dicerent ſe eſſe baptizatos in Patrem, & Filium, & ſpiritum Sanctum. Sed in fine hujus rei deciſionem ad Synodum Epiſcoporum remittit. Hujus Canonis afferendi locus, & occaſio forte erit infra lib. 2. cap. 10.

Can. 48. *Quæ à marito dimiſſa eſt, meâ quidem ſententiâ manere debet. Si enim Dominus dixit, ſi quis reliquit uxorem præter quàm ratione fornicationis, facit eam adulterari, ex eo quod eam adulteram nominet, excluſit eam à ſocietate cum alio &c.*

Can. 49. *Stupra quæ per vim inferuntur, non ſint accuſationi obnoxia. Quare, ſi ancillæ vis allata fuerit à proprio domino, ea à culpa eſt libera.* Et ideo ipſa non accuſetur, nec puniatur, bene autem dominus.

Can. 50. *Trigamiæ lex non eſt. Quare lege tertium matrimonium non approbatur. Verumtamen ea ut Eccleſiæ inquinamenta videmus, ſed publicis condemnationibus non ſubjicimus, ut quæ ſolutâ, ac profuſâ fornicatione ſunt magis expe-*

tenda. Hæc circa digamos, ac trigamos docet S. Pater in his epiſtolis, ex diſciplina ejus Eccleſiæ, vel temporis. Lege Card. Baron. ad ann. 314. num. 91.

Can. 51. *Quod adverſus Clericos ſtatutum eſt, Canones indefinitè ediderunt, unum in iis, qui lapſi ſunt, ſupplicium decerni jubentes, à miniſterio ſcilicet motionem, ſive ſint in gradu, ſive etiam in miniſterio, quod non impoſitis manibus datur, perſeverent*. Ideſt ſive habeant ordines majores, ſive minores, ut idem Balſam.

Can. 52. *Quæ fœtus in via nati curam non geſſit, ſi cum poſſet quidem ſervare, neglexerit, vel ſe ideo peccatum celare exiſtimans, vel etiam omnino belluina, & inhumana cogitatione impulſa* (ideſt ſi id fecerit vel ex negligentia, vel ad factum celandum, vel ex quadam feritate) *tanquam propter homicidium judicetur. Sin autem eum concinnare, & componere non potuit, & propter ſolitudinem, rerumque neceſſariarum inopiam fœtus interiit, matri ignoſcendum eſt*. De hac eadem re agitur Can. 33. ſed hìc fuſiùs, addito caſu ejus matris, cui fœtus perit inculpatè.

Can. 53. *Vidua ancilla fortè non multùm lapſa eſt, quæ ſub raptus ſimulatione, ſecundum matrimonium eligit. Quamobrem eam de illo accuſare non oportet: neque enim ſimulatio judicatur*,

catur, *ſed voluntas* (ideſt non debet inſtitui judicium de ſimulatione ipſa, quæ non eſt ingens culpa, ſed de voluntate. Voluntas autem ipſius alia non fuit, ut credi debet, quam contrahendi iterum matrimonium, quod quia contrahere impediebatur fortè à primi conjugii cognatis, inquit hìc Balſamon, recurrit ad eam ſimulationem) *Clarum eſt autem, quod illam manet pœna digamiæ*. Si videlicet contrahere matrimonium aliundè non poterat,

Can. 54. *De involuntariis cædibus ſcio me ante hoc tempus ſcripſiſſe pro viribus* (ſcilicèt Can. 8. deſumpto ex ejus Ep. 1. ad Amphilochium, nam reliqui Canones poſt Canon. 16. uſq. ad 50. ſunt in Ep. 2.) *& nihil ultra illa poſſum docere. Eſt autem tuæ prudentiæ pro circumſtantiæ proprietate pœnas intendere, vel remittere.*

Can. 55. *Qui ſe latronibus adverſos objiciunt*, (eos vel invadendo, vel ut noxios ob communem utilitatem interficiendo) *ſi ſint quidem extra Eccleſiam, à boni communione arceantur: ſi ſint autem Clerici, à gradu deponuntur. Quicunque enim, inquit, gladium acceperit, gladio peribit.*

Can. 56. *Qui ſua ſpontè interfecit, & poſtea pœnitentiâ ductus eſt, viginti annis Sacramento non communicabit. Viginti autem anni ſic in eo diſpenſabuntur. Debet quatuor annis*

nis deflere ſtans extra fores Templi, & fideles ingredientes rogans, ut pro eo precentur ſuam iniquitatem pronuncians, ideſt, faciens publicam ſui delicti confeſſionem. *Poſt quatuor autem annos inter auditores recipietur, & quinque annis cum ipſis egredietur* (ideſt Templo exibit, dum illi abire voce Diaconi jubentur) *ſeptem autem annis cum iis, qui in ſubſtratione orant, egredietur* (ideſt, cùm Catechumeni competentes ab eodem exire jubentur, ipſi etiam exibunt.) *In quatuor annis ſolùm ſtabit cum Fidelibus, ſed non erit oblationis particeps: iis autem expletis, erit Sacramentorum particeps*.

Can. 57. *Qui non voluntariè interfecit, undecim annis Sacramentis non communicabit. Undecim autem anni ſic in eo diſpenſabuntur. Duos quidem annos deflebit: tres autem annos inter auditores perſeverabit, in quatuor ſubſtratus, & anno ſolùm conſiſtet, & deinceps ad ſacra admittetur*.

Can. 58. *Qui adulteravit, in quindecim annis Sacramentis non communicabit. In his autem quindecim annis ſic quoque diſpenſabitur. Quatuor annis erit deflens, quinque audiens, quatuor ſubſtratus, in duobus conſiſtens ſine communione*.

Can. 59. *Fornicator ſeptem annis, ſanctis non communicabit, duobus deflens, & duobus audiens*,

audiens, *&* *duobus ſubſtratus*, *uno ſolo conſiſtens*, *octavo autem ad communionem admittetur*. Hic Balſamon (quod monui in Cler.Rom.) ita ſubdit. *Etiamſi quæ præſentibus duobus canonibus decreta ſunt*, *quod ad dictionem attinet*, *clariſſima*, *ſed tamen quod ad praxim attinet*, *ſunt omninò difficillima*. *NEMO enim eâ quæ illic continetur*, *ratione curatur*, *&* *niſi eſſet inenarrabilis clementis Dei miſericordia*, *omnis caro periiſſet*. Quod ſi adulteria, & fornicationes non curabantur pœnitentiâ canonicâ, putaſ-ne fuiſſe reliqua canonicâ tot annorum pœnitentiâ curatâ?

Can. 60. *Quæ virginitatem profeſſa à voto ſuo*, *ac profeſſione lapſa eſt*, *peccati adulterii tempus in ſuæ vitæ diſpenſatione complebit* (ideſt tandiù, & eodem modo punietur ut adultera.) *Idem & in iis*, *qui vitam Monaſticam profitentur*, *& labuntur*.

Can. 61. *Qui furatus eſt*, *ſi ex ſe quidem pœnitentiâ motus ſeipſum accuſaverit*, *anno à ſola Sacramentorum Communione arcebitur*. *Sin autem convictus fuerit*, *duobus annis tempus illi ad ſubſtrationem*, *& conſiſtentiam dividatur*, *& tunc communione dignus habeatur*. Hic ita ſubdit Balſamon. *Tu autem* (ò lector) *opta ne præſens canon ſecundum Juris definitionem intelligatur*, *quæ dicit*, *Fur eſt qui præter*

Domi-

Domini voluntatem aliena contrectat, ſciens eum moleſtiâ afficere. NULLUS enim ferè eorum, qui in vita verſantur, Sacramentis, ut mihi videtur communicabit, ſi hoc datum fuerit. (Nimirum omnes erunt in Ordinem Pœnitentium redigendi.) *Nam Monaſteriorum quoque miniſtri, etiamſi ſint religioſiſſimi, præter ſuorum Præfectorum ſententiam aliquid ſibi modicum ad vitam ſuſtentandam privatim accipiunt, & ad alios transferunt,* (quæ modica ſimul juncta quid magnum faciunt) *& filii à parentibus ſubripiunt. Mitto ſervorum nequitias, & clandeſtinas ſubreptiones eorum, quæ ad dominos ſuos pertinent.* Igitur nec hujus Canonis obſervantia vigebat, nec eum unquam viguiſſe dicit, aut innuit idem interpres, qui id malum non refert in vitium ſui temporis.

Can. 62. *Qui ſuam in maribus turpitudinem oſtendit, ei tempus diſpenſabitur illius, qui adulterii ſcelus admiſit,* ideſt maſculorum concubitores puniantur ut adulteri, quindecim annorum pœnitentiâ.

Can. 63. *Qui in brutorum concubitu ſuam impietatem profitetur, candem rationem confitens obſervat,* ideſt eâdem pœnâ plectetur, *poſtquam* (inquit Balſamon) *à malo defecerit, & confeſſus fuerit,* ſed verior interpretatio collecta ex Can. 56. & ex aliis videtur hæc eſſe, debere

bere hunc ſubire prædictam pœnitentiam in locis præſcriptis, & faciendo publicam confeſſionem qua vel confiteretur delictum in ſpecie, vel ſaltem diceret, ſe fœdiſſimè peccaſſe, vel eſſe hominum nequiſſimum, quæ confeſſio facienda erat, tempore fletus, ut dicitur eo Can. 56. & innuitur Can. ſequ. quo eadem pœna infligitur, & Can. 73.

Can. 64. *Periurus undecim annis non erit communionis particeps, duobus annis deflens, tribus audiens, quatuor ſubſtratus, anno ſolùm conſiſtens, & tunc communione dignus habebitur.*

Can. 65. *Qui præſtigias, vel veneficium fatetur, is homicidæ tempore confitebitur, ita diſpenſatus ut qui in unoquoque peccato ſe ipſum convicit*; ideſt homicidæ pœnâ plectetur, ac proindè tandiù deflebit extra fores Templi confitens peccatum ſuum, audiet, ſubſternetur, & conſiſtet, quandiù debet homicida, nec majori pœnâ punietur, quia ſe ipſum convicit ſpontè confitens unumquodque peccatum, ſeù alterutrum ex his duobus peccatis.

Can. 66. *Qui ſepulchra effodit, undecim annis carebit communione, duobus deflens, tribus audiens, quatuor ſubſtratus, uno conſiſtens, & tunc admittendus.*

Can. 67. *Cum ſorore coitus homicidæ tempore punietur.*

Can.

Can. 68. *Prohibitæ cognationis in matrimonium conjunctio, ſi deprehenſa fuerit, ut quæ in hominum peccatis facta eſt, ſubibit adulterorum pœnas*. Ideſt matrimonia inita contra leges inter cognatos, utpotè contracta cum peccato, puniantur tanquam adulteria.

Can. 69. *Lector, ſi cum ſua ſponſa ante matrimonium commercium habuerit, poſtquam anno ceſſaverit, ad legendum recipietur, manens non ulterius promovendus* (ideſt punietur annua ſuſpenſione à ſuo officio, neque provehetur poſteà ad altiorem ordinem.) *Quod ſi abſque deſponſatione furtim cojerit, ceſſabit à miniſterio. Idem & Miniſter*. Ideſt, ſi verò cojerit cum ea, quæ non eſt ſibi deſponſata, ceſſabit à ſuo officio in perpetuum, ac proindè deponetur. Eâdem pœnâ punietur, ſi id fecerit, Miniſter, ideſt, inquit Balſamon, Hypodiaconus: *non enim permittitur Hypodiacono, ſicut & Lectori poſt ordinationem deſponſam habere mulierem, & matrimonium contrahere*. Hypodiaconus autem eſt is quem dicimus Subdiaconum.

Can. 70. *Diaconus qui pollutus eſt in labris* (fœda oſcula corpori fœmineo imprimens) *& ſe eò uſque peccaſſe confeſſus eſt, à miniſterio probibebitur*,) non tamen in perpetuum, ſed ad tempus:) *ut autem ſit Sacramentorum cum Diaconis particeps, dignus habebitur*;

idip-

idipſum autem Presbyter quoque. Si quid autem amplius peccaſſe quis deprehenſus fuerit, in quocumque ſit gradu, deponetur. Ideſt, ſi uſque ad coitum progreſſus fuerit, ceſſabit in perpetuum à ſuo miniſterio.

Can. 71. *Qui uniuſcuiuſque prædictorum peccatorum fuit conſcius, & non confeſſus, ſed convictus eſt, tantò tempore, quantò malorum effector punitus eſt, ipſe quoque punietur*. Conſcium autem alicuius peccati,dicitBalſamon,eſſe hic eum qui *opem, & auxilium tulit, vel dolosè conſulvit, vel eum qui ſcit, & poteſt probibere, nec probibuit*.

Can. 72. *Qui ſe vatibus, vel hujuſmodi aliis tradit, ipſe quoque homicidarum tempore punietur*. Vult hìc puniri ut homicidas, eos qui, ut futura ſciant, conſulunt vates, nempè ut interpretatur Balſamon, eos qui non ſimplices incantationes faciunt, ſed, ut futura ſcire, & renunciare poſſint, invocant Dæmones, ac Deum negant.

Can. 73. *Qui Chriſtum negavit, & ſalutis myſterium tranſgreſſus eſt, eum toto vitæ ſuæ tempore deflere, & confiteri convenit, in tempore quo è vita excedit, Sacramento dignum habitum, propter Fidem Divinæ clementiæ*. Ut hunc canonem cum antiquioribus conciliet Balſamon in eujus interprȩatione hæc habet. *Cum*

autem

autem Ancyrana Synodus,& ſacroſanctus Martyr Petrus extremo excommunicationis ſupplicio (nempè uſque ad mortem) *neminem ſubjiciant, & præſenti Canoni veluti adverſentur, dic, quod Patres ſtatuerunt pœnas ſuis temporibus convenientes*. Poſteà dicit debuiſſe tempore perſecutionum mitiùs puniri apoſtatas, quàm tempore Baſilii, quo illæ deſierant.

Can. 74. *Sin autem unuſquiſque eorum, qui in prædictis peccatis fuere, confeſſus bonus evaſerit, & is, cui à Dei benignitate ligandi, & ſolvendi credita eſt poteſtas, fiat clementior, videns ſummam ejus, qui peccavit confeſſionem, ad diminuendum pœnarum tempus, non erit dignus damnatione, cùm hiſtoria ſcripturarum ſignificet, quod qui cum majori labore confitentur, Dei miſericordiam celeriter apprehendant*. Dicit hìc Balſamon, iſtò Canone tribui poteſtatem regionis Pontifici temperandi pœnas Canonicas pro contritione pœnitentis, notatque *diſcrimen quod eſt inter Judices qui pronunciant corporales punitiones adverſus eos qui ſunt criminibus obnoxii, & Epiſcopos qui decernunt pœnas Eccleſiaſticas adverſus eos qui animæ peccata confitentur. Illi enim* (inquit) *pœnas à lege conſtitutas, nec poſſunt augere, nec minuere ſine juſſu Imperatoris. Hi verò noſtrorum peccatorum onera ſuſcipientes, tanquam*

Deo

Deo pro nobis rationes reddituri pro ſuo arbitratu pœnas, & augent & minuunt, & ideò in eorum eſt poteſtate non ſolum pœnarum tempora minuere, ſed etiam pœnas commutare &c. Ut autem intelligeremus, hanc pœnæ diminutionem, vel mutationem debere fieri prudenter, refert, uti, cùm quidam miles in voluntariæ cædis crimen incidiſſet, & à quodam Antiſtite poſt valdè modicum tempus datis ſcriptis abſolutus eſſet, id ægrè tulit Imperator, voluitque rem expendi ſynodaliter: Synodus autem, minimè admittens excuſationem Epiſcopi, qui pro ſe hunc Baſilii canonem, alioſque ſimiles afferebat, *militem quidem canonicarum pœnarum rursùs compedibus ſubjecit: Antiſtitem autem ad aliquantum temporis ab officii, ac miniſterii ſuſpenſione punivit, dicens, quod Antiſtitibus quidem licet pœnas canonicas augere, & diminuere: aranearum autem filis ligare quæ debent tribus rudentibus alligari, non conceſſum eſt. Dicitur autem quod propter illius militis cauſam edidit potens, & ſanctus noſter Imperator de voluntariis homicidiis Novellam, quam etiam lege retrò ſitam*, nempè in explicatione Can. 8. ubi eam recitat. Ad intelligenda autem, & confirmanda quæ dicam lib. 2. non utile tantum, ſed neceſſarium eſt, ut eam audias, aut ſaltem ejus partes aliquas. Igitur

in loco citato ita prædictus Interpres.

Quia autem de voluntariis homicidis menſe Aprili indict. 14. à potentiſſimo, & ſancto Imperatore noſtro Domino Emanuele Commeno novella edita eſt, eam manda memoriæ, quæ ſic habet poſt proemium ſic tractans. Jubet ergo omnibus qui ſunt in regionibus, judicibus, & militaribus, quæ ſunt in eis copiis, & earum ducibus, ubi fuerit cędes voluntaria, & tale quidpiam auſus fuerit aliquis, ut omnes ſtatim excitentur ad apprehendendum homicidam, & eum vinctum mittant ad Imperatoriam circumſpectionem &c. at ipſe in cuſtodiam publicam introducatur, & tam in corpore, quàm in bonis ſecundùm legum, & Novellarum conſtitutionum poteſtatem puniatur, & alia ſupplicia ſubeat: ſcientibus his omnibus quod ſi probatum fuerit, potuiſſe quempiam homicidam apprehendere, & non fecerit, eum non ſecus condemnandum, quàm ſi Imperio inſidiatus fuerit. Sin autem latuerit fortaſsè quiſpiam, & ad ſanctiſſimam Dei magnam Eccleſiam confugerit, poſtquam pœnæ Eccleſiaſticæ adverſus eum proceſſerint, ex legali obſervatione, eo quidem preſente qui reginæ urbium Imperium obtinet, ab eo mittetur in regionem, quam cenſuerit, ut totum vitæ ſuæ tempus illic tranſigat &c. Sin autem non ſolum voluntariè, ſed etiam præmeditato, captoque

conſilio cędem perpetraverit, non cogetur ex prædicta regia conſtitutione tonderi. Si enim eum qui ſua ſponte ad tonſuram accedit, non eo ipſo ſtatim admittit canonica ſubtilitas, ſed ei ſufficiente tempore attributo, ejuſque mente examinata &c. quomodo non fuerit à ratione alienum, & à legibus ſpiritualibus diſſidens aliquem neceſſariò tondere, eumque homicidam, quem Deus eò uſque reliquit, ut etiam manus fraterno ſanguine pollueret? Timendum eſt enim, ne invitus vitam Angelicam ingreſſus, eâque vi ſuſcepto venerando habitu in ludibrium utatur &c. Loco ergo tonſuræ ſtatuit mea Imperialis majeſtas, ut qui voluntariam cędem capto conſilio perpetraverit, in cuſtodia toto vitæ ſuæ tempore degat &c. Quia autem plures homicidæ, qui cædem meditatò, & conſilio capto perpetrant, ad Sanctiſſimam Dei Eccleſiam poſtea accedentes, non ut facta eſt à ſe, ſed ut ad ſuam facit utilitatem, cædem confitentur, jubet mea Imperialis ſublimitas, ut ſanctiſſimus hujus temporis Patriarcha ad regionis Antiſtitem, & qui ei ſubeſt Clerum, quin etiam ad regionis judicem cum pœna ſcribat, & quemadmodum factam eſſe cædem ex illius reſcripto intellexerit, ita eam quoque perſequatur, & non eum qui capto conſilio cædem facit, propter falſam ſuam confeſſionem ad eaſdem pœnas, & eadem ſupplicia

 admit-

admittat, ad quæ qui fortuitò, & improviſò in tale aliquod crimen incidit &c. Omninò autem curæ erit iis, qui ſunt in ſanctiſſima magna Eccleſia illorum judicibus, ut cum conveniente canonica ſeveritate crimina cædis puniant, & tempora non temerè contrahant, nec pluſquam par ſit, in iis quæ non decet, ſe lenes, & clementes præſtent. Imperialis autem meæ conſtitutionis exempla ab iis, qni præſunt judiciis, deſcripta, miſſa ad Eccleſias, quæ ſunt in regione, ibi reponentur, ut eorum, quæ ſunt conſtituta, omnes ſcientiam habeant, ut faciant, quemadmodum eis comprehenditur. Quod ſi is qui capto conſilio cædem fecit, tonſuram ſua ſpontè elegerit, non abſque probatione inter Monachos cooptabitur, ſed ſufficienti tempore accuratiſſimè, & diligenliſſimè ex canonicis conſtitutionibus examinatus, & probatus, in Monaſterio, vel invitus toto tempore manere cogetur, nec ei unquam exire permittetur. Monaſterium autem erit omninò in illa provincia, & non in ea terra, quæ mortui ſanguinem dehiſcens malè ſuſcepit.

Ex hac conſtitutione habes, uti olim homicidæ, qui recurrebant ad Eccleſiam, & acceptum ab Epiſcopo ſcriptum abſolutionis teſtimoninm proferebant, fori ſęcularis pœnas declinabant, & ideò prædictum militem fuiſſe

datis ſcriptis ab Epiſcopo abſolutum.

Habes ſecundò, ex juſtiſſima cauſa non debuiſſe hujuſmodi Pœnitentes facilè abſolvi, & brevi pœnitentiâ, graviſſimis ſęcularis fori pœnis liberari, ac proindè non abs re fuiſſe prædicti Antiſtitis nimiùm clementis judicium damnatum, & reformatum. Habes tandem, id exemplum non rectè afferri ad comprobandam fori interni, & arcani ſeveritatem, in quo pœnitentes abſoluti non evadunt onera, & pœnas judicii ſęcularis. Hujuſmodi autem ſunt ferè omnia quæ modò ab aliquibus afferuntur in ſuæ fortè non ſatis probatæ aut probandæ ſeveritatis patrocinium. Sed proſequamur magni Baſilii canones.

Can. 75. *Qui cum propria ex patre, vel ex matre ſorore pollutus eſt, in domum orationis ne permittatur accedere, donec ab iniqua, vel nefaria actione deſiſtat. Poſtquam autem in horrendi peccati ſenſum, & animadverſionem venerit, triennio defleat ſtans propter fores domus oratoriæ, & rogans populum ingredientem ad orationem, ut unuſquiſque pro ipſo miſericorditer ad dominum intenſas fundat preces. Poſtea autem alio triennio ad ſolam auditionem admittatur, & ſcripturam, ac doctrinam audiens eiiciatur, & nec oratione dignus habeatur. Deindè, ſi quidem illam cum lacrymis ex-*

quiſivit, & Domino cum cordis contritione, & valida humiliatione ſupplex procidit, detur ei ſubſtratio in aliis tribus annis, & ſic poſtquam pœnitentiæ fructus dignos oſtenderit, decimo anno in Fidelium orationes ſuſcipiatur ſine oblatione, & cùm duobus annis unà cum Fidelibus ad orationem ſubſtiterit, ſic deinceps dignus habeatur boni communione.

Can. 76. *Idem eſt decretum in eos quoque qui ſuas nurus accipiunt.* Hìc notat Interpres, quod *iis qui deſiſtunt, non iis qui perſeverant in peccato, dantur pœnitentiæ canonicæ*, quod ego monui cap. 1. num. 7.

Can. 77. *Qui mulierem quidem ſibi legitimè copulatam dimittit, ſecundum Domini ſententiam adulterii judicio ſubjicitur, & à patribus noſtris canonicè ſtatutum eſt, ut ii anno defleant, biennio audiant, triennio ſuſternantur, ſeptimo cum Fidelibus conſiſtant, & ità oblatione digni habeantur, ſi cum lacrymis pœnitentiam egerint.* Hìc Interpres non abs re hæret. Nam canone 58. punit adulterum pœnitentiâ quindecim annorum, hìc autem eum qui legitimam dimiſit uxorem, & aliam ducit, ſola ſeptenni pœnitentia caſtigat. Qua enim iſta ratione cohereant? Solvit quæſtionem dicens, primum canonem eſſe S. Patris, ſecundum autem afferri ab eodem ut Canonem Patrum

trum priorum, ut eum ſciamus, non autem ut ſequamur, ac proindè manere firmum quod ipſe eo canone 58. ſtatuit.

Similis quæſtio agitari poteſt circa canonem 38.& 39.nam in primo fornicatoribus quadriennium pœnitentiæ imponitur, in altero verò iiſdem imponitur ſeptennis pœnitentia, quam quidem eodem modo,quo præcedentem, ſolvit Balſamon dicens, in uno Baſilium ipſum taxare pœnitentiam, in altero verò recitare taxatam à Patribus. Sed hæc interpretatio difficultate non caret, ut legenti utroſque hos canones, eoſque ſimul conferenti conſtabit, utque expendi in Clerico Rom. lib.1. diſp.9. num.17. Ea fortè melior reſponſio ſit, tempora pœnitentiæ poſſe aliter, & aliter determinari, ut non ſolum diverſo, ſed eodem tempore fuere à diverſis Eccleſiis determinata: niſi dicendum ſit, incuriâ emanuenſium aliquid eſſe in ſcribendo, & reſcribendo hos canones omiſſum, quo omnis eorum diſcordia tolleretur.

Can. 78. *Eadem autem forma obſervetur, & in iis, qui duas ſorores in matrimonio accipiunt, etſi diverſis temporibus*, ac proindè etiam hi ſeptenni pœnitentia curentur.

Can. 79. *Ii autem, qui in ſuas novercas inſaniunt, ſunt eidem canoni obnoxii, cui & ii qui in duas ſorores inſaniunt.*

Can. 80. *Patres polygamiam ſilentio prætermiſere, ut belluinam, & penitus ab hominum genere alienam. Nobis autem probatur, eam majus eſſe fornicatione peccatum, & ideò conſentaneum eſt, ut ii canonibus ſubjiciantur, ut ſcilicet, poſtquam anno fleverint, & tribus ſubſtrati fuerint, ſic ſuſcipiantur.* Hìc iterum nodus: nam ſi majus eſt fornicatione peccatum, cur ſolis quatuor annis caſtigatur, fornicatio autem ſeptem annis? Id auget ſuſpicionem erroris in numero annorum ab exſcribentibus commiſſi.

Can. 81. *Qui in barbarorum incurſione fidem in Chriſtum violarunt, factis ſacramentis gentilibus, & quibuſdam nefariis, quæ idolis magicis oblata ſunt, ab eis guſtatis, ii ſecundùm leges à Patribus jam editas, & Canones diſpenſentur. Qui enim gravem neceſſitatem ex tormentis ſuſtinuerunt, & non ferentes labores ad negationem tracti ſunt, tribus annis ſint non recipiendi* (deflentes extra Eccleſiam), *& in duobus audiant & cùm tribus annis ſubſtrati fuerint, ſic ad communionem admittantur. Qui autem ſine magna neceſſitate fidem in Chriſtum prodiderunt, & Dæmoniorum menſam attigerunt, & Græca Sacramenta jurarunt, tribus quidem annis ejiciantur* (ideſt non admittantur intra Eccleſiam), *duobus audiant: poſtquam autem*

autem in ſubſtratione tribus annis oraverint, & in aliis tribus fidelibus ad orationem ſe ſubſtraverint, ſic admittantur ad boni communionem. Is Canon videtur contrarius Canoni 73. in quo eos qui Chriſtum negant, ad perpetuam pœnitentiam & fletum S. Pater damnavit. Sed fortè ibi loquitur de iis qui expreſsè negarunt Chriſtum, inque ſua apoſtaſia, effecti tanquam Ethnici, perſtiterunt; hìc autem de iis qui barbaris eas regiones incurrentibus, actum aliquem paganicum & ſuperſtitioſum, ex aliquo metu exercuerunt, & poſtea ſtatim reſipuerunt.

Can. 82. *De iis etiam qui pejerarunt, ſi vi quidem & neceſſitate juramenta tranſgreſſi ſunt, levioribus pœnis ſubjiciuntur, ut poſt ſex annos poſſint ſuſcipi. Qui autem ſine neceſſitate ſuam fidem prodiderunt, cùm duobus annis defleverint, & duobus annis audiverint, & in quinto in ſubſtratione fuerint, & in duobus aliis ſine oblatione in orationis communionem ſuſcepti extiterint, ita tandem, condignâ ſcilicet pœnitentiâ oſtensâ, in Corporis Chriſti communionem recipientur.* At perjuros ſolùm poſt decimum pœnitentiæ annum ad boni communionem admitti voluit Can.64. cur ergo mitiùs hìc eoſdem punit? Fortè hìc agit de perjuris qui ſponte confitentur, ibi verò de iis qui ex aliorum accuſatione fuere perjurii condemnati, ut interpretatur Balſamon.

Can. 83.

Can. 83. *Qui vaticinantur, & gentium conſuetudinem ſequuntur, & aliquos in ædes ſuas introducunt ad veneficiorum inventionem, & eorum expurgationem, cadant in Canonem ſexennii, & poſtquam anno defleverint, & anno audierint, in tribus annis ſubſtrati, & anno cum fidelibus conſiſtentes ſic admittantur*. At ſeverior in præſtigiatores, veneficos, eoſque qui vates conſulunt, eſt cenſura Canonis 65. & Canonis 72. quibus tanquam homicidæ puniuntur, pœna videlicet annorum viginti. Interpres putat eo duplici Canone puniri eos qui ita illa faciunt, ut fidem negent, hìc autem qui ex errore aliquo, non abnegata fide, vaticiniis & veneficiis dant operam. At cur id nec innuit quidem S. Pater, immo innuit oppoſitum, cum in hoc poſteriori Canone agat de profitentibus hanc artem, alioſque in errorem inducentibus, in illis autem prioribus de iis qui tantum confitentur ſe præſtigias & veneficium feciſſe, aut tradidiſſe ſe vatibus, ut futura prædiſcerent, quod certè minus eſt quam illud primum. Cur demum S. Pater hos Canones ſic in ſpeciem contrarios, ſic indiſtinctos miſit ad Amphilochium? Fortè quæſtio ipſa, ac dubium quod Amphilochius propoſuerat, declarabat reſponſionem ipſam quam Baſilius Canone tradebat. Neſcio an probabilis ſit ea ſuſpicio, non omnes hos Cano-

Canones eſſe Baſilii, ſed Baſilianis additos non Baſilianos.

Can. 84. *Hæc autem omnia ſcribimus, ut pœnitentiæ eorum* qui deliquere *fructus probetur. Non enim hoc omnino tempore judicamus, ſed modum pœnitentiæ attendimus* (ideſt non ſatis eſt nobis, quod qui ad nos curandi veniunt, ſtatuto tempore maneant in locis pœnitentium, ſed inſpicimus, an præbeant ſigna veræ pœnitentiæ) *Quod ſi aliqui à propriis moribus non facilè avellantur, & carnis voluptatibus potiùs, quàm Deo ſervire voluerint, vitamque ex Evangelio inſtitutam non admittant, nulla eſt nobis cum illis communis ratio. Nos enim in inobediente, & contradicente populo audire docti ſumus, ſervans ſerva animam tuam.* Ideſt ex ſacra ſcriptura, qua redarguitur populus Hæbreus inobediens, & contradicens, audimus, & docemur, ut ſervemus animas noſtras, nec eam, conniventes aliorum peccatis, amittamus.

Can. 85. & ult. *Ne itaque cum eis perire eligamus, ſed grave judicium formidantes, & terribilem Dei retributionis diem præ oculis habentes, ne velimus unà cum alienis peccatis perire &c. Sed & noctu, & interdiu, & publicè, & privatim ipſis teſtificari debemus: cum eorum autem improbitatibus abire nolumus, eos quidem lucrifacere optantes, & à mali laqueo eripere. Sin*

autem

autem hoc non poſſumus, ſtudeamus noſtras animas ab æterna condemnatione ſervare.

Hi ſunt Canones pœnitentiales attributi Magno Baſilio, quorum tamen aliqui, ut audiſti non continent pœnitentias, quibus delicta curentur, ſed admonitionem aliquam ad id pertinentem, vel doctrinam morum, qualem forte nulli alii antiqui Canones magis diſtinctè exhibent. Nunc afferam Gregorii Nyſſeni Canones.

§. IV.

Canones S. Gregorii Nyſſeni.

COntinentur hi in ea quam S. Antiſtes ſcripſit ad Letojum Melitines Epiſcopum, epiſtolâ, à qua proinde eos excerpam, & numeris diſtinguam.

Canon. 1. *Si quis fidem in Chriſtum negavit, vel ad Judaiſmum, vel idolorum cultum, vel Manicheiſmum, vel aliquod aliud impietatis genus deſciviſſe viſus ſit, qui voluntariè quidem ad id malum ſe contulit, deinde ſeipſum condemnavit, totum tempus vitæ ſuæ habet pœnitentiæ tempus. Nunquam enim, ſi myſtica peragatur oratio, Deum unà cum populo adorare dignus cenſebitur, ſed ſeorſum precabitur, à Sacramentorum autem communione omnino erit alienus,*

in

in hora autem ſui è vita exceſſus Sacramenti communionis erit particeps. Sin autem contigerit, ut is præter ſpem convaleſcat, & vivat, in eodem rurſus vivet judicio, myſticorum Sacramentorum uſque ad vitæ exitum expers.

Can. 2. *Qui autem tormentis, & gravibus ſuppliciis excruciati* (lapſi ſunt) *ii præſtituto tempore punientur; ſanctis Patribus ſic in eos clementiâ uſis, tanquam non lapſa ſit anima, ſed corporalis imbecillitas tormentis non reſtiterit. Quare menſura eorum, qui fornicatione peccarunt, & tranſgreſſiò extorta vi, doloreque in converſione eodem ſpatio dimenſa eſt.* Ideſt prædicti, qui vi tormentorum victi tranſgreſſi ſunt, punientur, ut puniuntur fornicarii, nempe pœnitentiâ novem annorum, ut infra dicetur.

Can. 3. *Qui autem ad præſtigiatores, vel vates abierunt, vel eos qui per Dæmones ſe piacula quædam, & averſiones* (nempe expulſiones malorum) *operaturos pollicentur, ii exactè interrogantur, & examinantur, utrum in fide in Chriſtum permanentes, à neceſſitate aliqua ad illud peccatum impulſi ſunt, cum afflictio aliqua, vel intolerabilis jactura hunc illi animum indidiſſet; an omnino neglecto quod à nobis creditum eſt teſtimonio* (Fidei) *ad Dæmonum ſocietatem ſe contulerunt. Si enim ad Fidem infirmandam, & quod Deum eſſe non crederent, qui à Chri-*

ſtia-

ſtianis creditur, & adoratur, illi ' *fecerunt, erunt ſcilicet tranſgreſſorum judicio obnoxii,* nempe curandi ut ii, de quibus Can. 1.

Can. 4. *Sin autem intolerabilis neceſſitas aliqua, puſillo, & abjecto eorum animo ſuperato, eò deduxit falsâ aliqua ſpe deceptos, ſimiliter erit & in ipſos clementia, inſtar eorum qui tormentis in tempore confeſſionis reſiſtere non potuerunt.*

Can. 5. Poſtquam fusè diſſeruit de malitia fornicationis, docuitque in ea contineri etiam injuriam aliquam latè ſumptam, quia tamen in ea non eſt injuria ſtrictè talis, ut in adulterio, nec tanta inordinatio ut in aliis nefariis actibus luxuriæ, ita ſubdit. *Sed quia eorum, qui in fornicatione polluti ſunt, injuria aliqua* (nempe propria & ſtricta) *cum hoc peccato non eſt commiſſa, propterea duplum converſionis tempus iis præſcriptum eſt, qui in adulterio inquinati ſunt, & in aliis item vetitis malis, animalium initu, & rabie in maſculos: in iis enim peccatum duplicatur. Unum quidem in illicita, & nefaria voluptate. Alterum autem, quod in injuria, quæ fit alteri, conſiſtit.*

Can. 6. *Eſt autem quædam differentia in ratione pœnitentiæ in iis qui in hujuſmodi voluptatibus peccarunt. Qui enim ex ſe ipſo ad ſua manifeſtanda peccata impulſus eſt, eo quod ſua*

ſponte

ſponte occultorum accuſator eſſe voluerit, ut qui jam morbo medicinam adhibere cœperit, & ſignum mutationis in id quod eſt melius, oſtenderit, in mitioribus pœnis verſatur. Qui autem in malo deprehenſus eſt, vel propter aliquam ſuſpicionem vel accuſationem non ſpontaneam convictus eſt, longius illi converſionis tempus datur, ut ipſe perfectè purgatus ſic ad Sacramentorum communionem admittatur.

Can. 7. *Qui in fornicatione polluti ſunt, in tribus quidem annis ab oratione* (& ab Eccleſia) *omnino expellantur: in tribus autem ſint ſolius orationis participes: in tribus autem aliis cum iis, qui in converſione ſubſternuntur, precentur, & tunc ſint Sacramentorum participes.*

Can. 8. *In iis autem qui diligentiam converſione uſi fuerint, & vitâ oſtenderint, ſe eſſe emendatos, poteſt is qui præeſt pro Eccleſiaſticæ œconomiæ utilitate tempus auditionis contrahere, & celeriùs ad converſionem deducere, & rurſus hoc quoque tempus contrahere, & celeriùs communionem reddere, prout ſua probatione, ejus qui curatur, ſtatum eſſe, judicabit. Quemadmodum enim porcis margaritas proiicere eſt vetitum, ita & pretioſâ margaritâ privare eum, qui jam per alienationem à vitio, & purgationem homo factus eſt, abſurdum eſt.*

Can. 9.

Can. 9. *Quæ autem in adulterio, & in reliquis immunditiæ generibus* (nempè beſtialitate, & ſodomia, de quibus ſupra) *ſit iniquitas, ut dictum eſt, eodem judicio punietur, quo & fornicationis ſcelus, ſed tempore duplicabitur. In eo autem, qui curatur affectio, & ſtatus conſiderabitur, ut dictum eſt de fornicario, ut vel citiùs, vel tardiùs ſit boni particeps.*

Indè deſcendit ad peccata quæ fiunt ex ira & docet, quod quamvis ſcriptura non ſolum vulnera & cędes prohibeat, ſed etiam omne convicium, vel maledictum, tamen Patres ſolis cędibus pœnas ſtatuerunt, quas affert, poſt diviſionem homicidii voluntarii,& involuntarii.

Can. 10. *Igitur in curatione voluntarii homicidii ter novem ſunt anni, novenario annorum numero in unoquoque gradu præfinito* (nam quartum gradum in diſtributione temporis is S. Pater omittit) *ut in perfecta quidem ſegregatione novem annorum tempore verſetur Pœnitens ab Eccleſia prohibitus* (en primus gradus Fletus) *totidem autem annos in auditione permaneat, ſola doctorum, & ſcripturarum auditione dignus habitus* (en ſecundus gradus Auditionis) *in tertio autem novenario cum ſubſtratis in converſione orans* (en tertius gradus ſubſtrationis) *ut perveniat ad communionem Sacramenti.*

Can.11.

Can. 11. *In eodem erit idem obſervandum ab eo qui Eccleſiam adminiſtrat, & pro ratione converſionis illi quoque pœnæ tempus minuatur, ut pro novem annis in unoquoque gradu, vel ſex vel ſeptem anni ſolùm fiant, ſi pœnitentiæ magnitudo tempus vincat, & ſuperet correctionis ſtudio eos qui in longo tempore præſtituto ſuſceptas à ſe maculas ſegniter eluunt.* Igitur ex hoc S. Doctore homicidia voluntaria vigintiſeptem annorum pœnitentiâ caſtigari debuerunt, aut annorum circiter viginti, ſi magnus eſſet fervor pœnitentis. Homicidia autem voluntaria non ſolùm ea eſſe dicit ſupra, quæ fiunt ex meditatione animi, ſed etiam ea, quæ committuntur in rixa. Poſt hæc deſcendit ad curationem homicidii involuntarii, quod dicit illud eſſe, quod *caſu committitur ab eo qui alicui alteri rei ſtudium applicat.*

Can. 12. *Involuntarium autem venia quidem dignum, ſed non laudabile judicatum eſt. Hoc autem dixi, ut conſtet, quod etiamſi quis involuntariè fuerit in ſcelere homicidii, eum tanquam jam profanum piaculum redditum à ſacerdotali gratia ejiciendum pronunciavit. Canon.* Hæc eſt pœna homicidii etiam involuntarii, nempe irregularitas, pœnitentia autem eſt eadem ac fornicarii nempe novem annorum; ſic enim ſubdit.

Can. 13. *Quantum autem eſt expiationis tempus ob ſimplicem fornicationem, tantum etiam rectè habere exiſtimatum eſt in iis qui cædem involuntariam feciſſent, ſcilicet in iis quoque pœnitentis voluntate examinatâ, ut ſi ſit fide quidem digna converſio, non ſervetur annorum numerus, ſed temporis prolixitate reſecata ad Eccleſiæ reſtitutionem, & boni participationem compendio deducatur.*

Can. 14. *Si quis autem tempore non expleto à Canonibus præſtituto, vitâ excedat, jubet Patrum clementia, ut effectus Sacramentorum particeps fiat, nec viatico vacuus ad extremam illam, & longam peregrinationem mittatur. Sin autem, poſtquam Sacramenti particeps factus fuerit, rurſus ad vitam reverſus ſit,* (ideſt periculum evadat, & convaleſcat) *ſtatutum tempus expectet in illo gradu exiſtens, in quo erat ante communionem illi ex neceſſitate datam.*

Poſtea deſcendit ad curanda peccata avaritiæ, quibus medendis nullum pœnitentialem Canonem conditum à Patribus fuiſſe, miratur, cùm ea ſit ex Apoſtolo ad Epheſ.5.quædam idololatria. Ipſe autem ex pœnitentia aliorum delictorum, & ex Scriptura docet, qua ſint hæc peccata ratione curanda.

Can. 15. *Dividitur furtum in latrocinium, ſeu deprædationem, & in murorum* (& ſepulchro-

chrorum ut anteà dicit) *effoſſionem*. *Idem autem utriuſque eſt inſtitutum, videlicet aliena auferre: in animo autem ipſorum magna eſt inter ſe differentia. Latro enim etiam homicidium ad id quod ſtudet aſſequi, aſſumit, ad id paratus & armis, & copiis, & opportunitate loci; ideoque is homicidarum judicio ſubjiciatur, ſi per pœnitentiam ad Dei Eccleſiam reverſus fuerit*. Igitur hujuſmodi latronibus paratis committere homicidium voluit is ſanctus Pater viginti ſeptem annorum pœnitentiam in eos tres gradus Fletus, Auditionis, & Subſtrationis diviſam imponi.

Can. 16. *Qui autem latenti ablatione ſibi alienum uſurpat, deinde per enunciationem peccatum ſuum Sacerdoti aperuerit, vitii ſtudio in contrarium mutato, ægritudinem curabit, videlicet largiendo quæ habet, pauperibus, ut dum quæ habet profundit, ſe ab avaritiæ morbo liberum apertè oſtendat*.

Can. 17. *Sin autem nihil aliud, præterquam ſolum corpus habeat, jubet Apoſtolus per laborem corporalem ei morbo mederi, ſic dicens, qui furatur non amplius furetur, ſed potius laboret bonum operans, ut poſſit ei largiri qui indiget*.

Can. 18. *Sepulchrorum effoſſio ipſa quoque dividitur in id quod veniam meretur, & id quod non meretur. Si enim mortuorum parcens reli-*

 gio-

gioni, & tectum corpus intactum relinquens, ut nec ſoli oſtendatur turpitudo corporis, lapidibus aliquot ex iis, qui ante ſepulchrum projecti ſunt, ad aliquod opus conſtruendum uſus eſt, ne hoc quidem eſt laudabile, ſed ut eſſet dignum veniâ, effecit conſuetudo, quando ad aliquid melius, & Reipublicæ utilius materia traducta ſit; ſed carnis in terram redactæ pulverem perſcrutari, & oſſa movere, ſpe lucrandi aliquem ex defoſſis ornatum, id eodem judicio condemnatum eſt, quo ſimplex fornicatio, quemadmodum ſupra dictum eſt, conſiderante ſcilicet œconomo, ſeu diſpenſatore, & æſtimante ex ipſa vitâ ejus qui curandus eſt, quæ medicina ſit adhibenda, ut ſpatium à Canonibus præſtitutum poſſit contrahere.

Can. 19. *Sacrilegium autem* (quo aufertur quod Deo ſacratum eſt) *in antiqua quidem ſcriptura* veteris Teſtamenti, *ne cædis quidem condemnatione viſum eſt tolerabilius. Similiter enim & qui cædis convictus erat, & qui res Deo dicatas abſtulerat, lapidationis ſupplicium ſubibat* (ideſt ſacra Scriptura æquè punit homicidam, & eum qui aufert rem Deo ſacram, ut patet in Achaz, qui ex ſpoliis Hiericho, quæ erant Deo ſacrata, aurum, veſteſque abſtulit) *In Eccleſiaſtica autem conſuetudine de pœnæ gravitate neſcio quomodo aliquid detractum, & eò lenitatis deſcenſum eſt, ut illius morbi exiſtimaretur tole-*

rabilius piaculum. In minori enim tempore quam adulterium, à patrum traditione pœnam ſuſceperunt. Ideſt non ſolum non punitur ut homicidium, pœnitentiâ annorum 27. ſed neque ut adulterium, pœnitentiâ annorum 18. ſed pœna minori.

Can.20. & ult. *Utique autem hoc in ſupplicii genere ante omnia videndum eſt, qualis ſit ejus qui curatur, affectio, & non exiſtimare, tempus ad curationem, & remedium ſufficere (quæ enim fuerit ex tempore medicina?) Sed ejus qui convertitur, & curatur, animum & inſtitutum*, nempe in foro pœnitentiæ, in quo non intenditur ſola vindicta delicti, ſed delinquentis emendatio & ſanitas; non ſufficit, quod qui deliquit, tanto tempore puniatur: nam tempus & duratio pœnæ non ſanat, ſed eſt attendenda pœnitentis diſpoſitio, ut eo modo curetur, eâ pœnitentiâ aſperâ, vel miti, longâ vel brevi exerceatur, quæ illi utilior erit ad emendationem, qui, ut non ſemel dixi, & millies dicam, eſt Canon pœnitentialis veriſſimus, & certiſſimus, ex quo ea pœnitentia injungatur pœnitenti, quæ vulnus nec exaſperet, nec diſſimulet, & vulneratum ſanet; idque ſolùm intenderunt Patres per hos Canones Pœnitentiales; & ideo tam ſæpe monuerunt, debere Præſidem hujus fori uno velut oculo leges aſpicere, altero

Pœnitentem, & earum rigorem temperare, cùm is ſanatus apparet.

Habes jam, qui fuerint Canones illi tam celebres Patrum Græcorum, & ex Balſamone audiviſti quæ fuerit eorum obſervatio, immo ex hoc ultimo Canone Gregorii Nyſſeni didiciſti quæ eſſe debuerit, de quo tamen dicam infra, ut non ſemel promiſi.

Cler. Ita quidem, nec ſuo loco deſinam excitare te, ut præſtes quod promiſiſti. Interea velim, afferas quoque Canones Pœnitentiales Patrum Latinorum, qui eodem tempore, aut antea, vel paulo poſt floruerunt, nempe Tertulliani, Cypriani, Hilarii, Hieronymi, Ambroſii, Auguſtini, & præſertim Romanorum Pontificum, qui circa eadem tempora fuere celebres ex amore & zelo Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quos proinde crediderim & ipſos, immo ipſos potiſſimùm, ſimilium Canonum objectu, valloque cuſtodiviſſe Pœnitentiæ diſciplinam.

Auct. Quos numeraſti, aliique, quos numerare poteras, eorum temporum Patres Latini diſſerunt quidem ſæpiſſimè de pœnitentia, impœnitentes excitant, molles & ſolo nomine pœnitentes, cupienteſque poſt graviſſima delicta reconciliari ſtatim & reſtitui, redarguunt, omnes demum qui graviùs deliquere, vehementer hortantur, ut eleemoſinis peccata redimant,

mant, fletu deleant, Deumque ſibi jejuniis, vigiliis, aliiſque hujuſmodi afflictationibus propitium faciant, at canones, quibus ſua unicuique delicto pœnitentia ſtatueretur, minimè condidere.

Cler. Igitur nec Romani Pontifices horum temporum hujuſmodi canones condidere?

Auct. Nullus ex ipſis, quod ſciam, aut vix ullus ex impoſitis hujuſmodi ſtationariis, & multorum annorum pœnitentiis celebratur. Afferri ab aliquibus ſolet Felix III. ſed is in cauſa eorum qui cum maximo totius Orbis Chriſtiani ſcandalo (ut idem Pontifex dicit Ep. 7.) ac tanquam veræ fidei deſertores rebaptizari voluerant, ſolùm ſervari mandat canonem Concilii Nicæni; ſic enim habet. *De Clericis autem, & Monachis, aut puellis Dei, aut ſecularibus ſervari præcipimus hunc tenorem, quem Nicæna Synodus circa eos qui lapſi ſunt, vel fuerint, ſervandum eſſe conſtituit, ut ſcilicet qui nulla neceſſitate, nullius rei timore, aut periculo ſe, ut rebaptizentur, hæreticis impiè dediderunt, ſi tamen eos ex corde pœniteat, tribus annis inter Audientes ſint, ſeptem annis ſubjaceant inter Pœnitentes manibus Sacerdotum, duobus autem annis oblationes modis omnibus non ſinantur offerre, ſed tantummodò ſecularibus in oratione ſocientur. Nec confundatur*

Deo colla ſubmittere qui non eum timuit abnegare.

Dixi Latinos horum temporum Patres extra Concilia, Canonum hujuſmodi, quibus contineretur diſtincta delictorum cenſura, authores non fuiſſe: in Conciliis ſiquidem etiam ipſi tradidere modum, quo ſingula ſaltem graviora delicta ſalubriter vindicarentur.

Cler. Id etiam ut me doceas, ordo doctrinæ poſcit. Poſtquam enim didici, quæ hac ſuper re, Patres ſtatuunt, aut referunt extra Concilia, docendus omninò ſum, quæ ſtatuerint Concilia ipſa horum temporum, & quidem vel ſint in Eccleſia Latina, vel in Græca celebrata. Quamvis enim eorum canones legere ipſe facilè poſſim in tam multis, quæ prodiere, Conciliorum Collectionibus, egeo tamen operâ tuâ, ut eos intelligam: eorum quippè lectioni cùm animum non ſemel adjecerim, hæſi in multis, quæ aut non reperi explicata, aut tam fusè, & non in loco, ut inter ipſas explicationes manſerim totus implicatus.

Auct. Faciam quidem breviſſimè quod petis, ſed neſcio, an ſatis, ad ea explicanda quæ fortè explicari deſideras.

CA-

CAPUT V.

Canones Pœnitentiales aliquorum Conciliorum.

1 QUos te legiſſe dicis, & non intellexiſſe, fuere, ut reor, Canones Illiberitani.

Cler. Hi profectò:

Auct. Hos igitur afferam, & explicabo.

§. I.

Canones Pœnitentiales Concilii Illiberitani.

1 DE hoc Concilio magnum inter ſcriptores diſſidium, cum aliqui uno tempore, alii alio celebratum illud aſſerant; aliqui unum numerum canonum, alii majorem ei attribuant; aliqui uno modo, alio interpretentur alii; aliqui ejus auctoritatem elevent, alii attollant, alii nutantem firment, ut plerique recentiores, & præſertim Card. de Aguirre in ſua Collect. maxima tom. 1. pag. 268. edit Rom. De tempore prima controverſia eſt, nobis autem pro re præſenti ſatis eſt hoc ſcire quod eſt ſatis certum, celebratum ab Hiſpanis Patribus hoc fuiſſe ſub initium ſęculi quarti aliquot annis ante Nicænum, & ut videtur, paulò ante Arelatenſe 1.

Cir-

Circa canones eos afferam tantùm qui pœnas, ſeu pœnitentias ſtatuunt quique citra controverſiam huic Concilio attribuuntur. Non eſt autem is locus agendi de ejus auctoritate, cùm hìc conſtituerim docere tantùm, qui fuerint, non verò quanti habiti fuerint horum temporum Canones Pœnitentiales. Hujus autem Concilii doctrina non in canones, ſed in capita, quæ tamen canones ſunt, fuit digeſta.

Cap. 1. *Placuit ut quicumque poſt fidem Baptiſmi ſalutaris adulta ætate ad templum idoli idolatraturus acceſſerit, & fecerit quod eſt crimen capitale* (nempè principale, quale eſt ſacrificium idolo factum) *nec in fine eum ad communionem ſuſcipere*. Hìc magna controverſia eſt, an Patres prohibentes hunc ſuſcipi, vèl in fine vitæ, ad communionem, eum ſolo Euchariſtiæ viatico fraudari voluerint, an etiam abſolutione ſacramentali. Communiter in his Conciliis *ſuſcipere ad communionem* eſt idem, ac *non negare*, ſeu *reddere alicui ſocietatem Fidelium*, & *non ſuſcipere* eſt idem, ac *negare hanc ſocietatem*, ac proindè omnem uſum ſacramentorum. Igitur utrumque ſacramentum hìc negant Patres, ſi his vocibus uſi ſunt, ut communiter uſurpari ſolebant. Quia verò hæc verba poſſunt etiam ſuſcipere mitiorem interpretationem, itaut ſola negetur communio Euchariſtiæ,

riſtiæ, & Patres, cùm poſſunt, ſic explicari debent, ut ſenſum faciant magis conſonum communi Eccleſiæ doctrinæ, dicendum eſt, in hoc & in aliis, quos infra afferam, canonibus, ſolam ab eis negari Euchariſtiæ communionem. Imò quia hoc ipſum receptum non fuit ab Eccleſia, quæ, ut infra dicam, & oſtendi in Clerico Rom. lib. 1. diſp. 4. utrumque Sacramentum moribundis verè pœnitentibus conferri ſemper voluit, fortè per prædicta verba fuit illis apoſtatis ea ſola communio denegata, quæ erat plena communio, plena pax cum Eccleſia, quæ magnis peccatoribus utcunque utroque Sacramento refectis negabatur etiam in morte, quatenus, ſi convaluiſſent ab infirmitate ſua, ingredi debebant ſtadium pœnitentiæ, & gerere ſe tanquam ejectos, & ab uſu Sacramentorum excluſos.

Cap. 2. *Flamines qui poſt fidem lavacri, & regenerationis ſacrificaverint, eo quod geminaverint ſcelera, accedente homicidio, vel triplicaverint facinus cohærente mœchia, placuit, eos nec in fine accipere communionem.* Hic eruditi Interpretes dicunt, agi de iis Gentilium Sacerdotibus qui flamines vocabantur, qui poſt converſionem, & Baptiſmum ad vomitum redierant, & ad ſuum munus, quod erat Diis immolare initio ludorum, & publicis ludis præeſſe, in quibus homicidia, & adulteria, aliaque hujuſ-

hujuſmodi obſcœna committebantur, quorum proindè reatus ad eos redundabat; vel agi de iis Sacerdotibus qui pariter poſt ſanctum lavacrum quo erant expiati, redierant ad ſua ſacrificia, in quibus carnes humanæ offerebantur idolis, & virgines antequam mactarentur, ab ipſis Sacerdotibus conſtuprabantur non ſine culpa mœchiæ, cùm Sacerdotes uxorati eſſent. Niſi fortè hæc vox mœchia ſumenda ſit in lata ſignificatione pro quovis illicito concubitu, quomodo uſurpari eam poſſe, docet Auguſt. lib. 2. ſuper exod. cap. 71. Igitur hi Sacerdotes ex his tribus criminibus, vel ex ſingulis, ut alii interpretantur, cum parva aliqua mutatione verborum hujus capitis, totâ vitâ, inque ipſa morte privantur communione prædicta.

Cap. 3. *Item flamines qui non immolaverint, ſed munus tantùm dederint, eo quod ſe funeſtis abſtinuerint ſacrificiis, placuit in fine præſtari eis communionem: factâ tamen legitima pœnitentiâ. Item ipſi, ſi poſt pœnitentiam fuerint mœchati, placuit ulterius, eis non eſſe dandam communionem, ne luſiſſe de Dominica communione videantur*: Hìc nomine muneris intelligunt aliqui pecuniam, vel tale aliquid datum perſecutoribus ad redimendam corporis, & vitæ vexationem. Hoc autem dare ad hunc finem culpa vacat, ut ſupra definit Petrus Alexandri-

xandrinus Can. 12. non igitur puniendum erat, niſi fortè cauſa aliqua nobis incomperta id eo tempore illicitum fecit. Aliqui ea voce intelligunt munus aliquod datum idolo, vel ethnico Sacerdoti ad ſumptus ſacrificiorum, quod certè erat illicitum, & puniendum. Alii demum nomine muneris ſignificari dicunt ludos publicos, quos hi flamines exhibuerant, ſed ſine ſacrificio, & ideò minùs puniuntur.

Cap. 4. *Item flamines, ſi fuerint catechumeni, & ſe à ſacrificiis abſtinuerint, poſt triennii tempora placuit ad baptiſmum admitti debere*. Putarunt Patres, flamines quos experti fuerant patùm conſtantes, eſſe diutiùs probandos, nempè toto triennio, cum reliqui poſt biennii catechumenatum baptizarentur. Igitur ſi flamines intra triennium ad ſua impia ſacrificia relapſi fuiſſent, nec eo elapſo, poterant baptizari, quamvis eos ſui delicti pœniteret.

Cap. 5. *Si qua domina furore zeli accenſa* (nempè zelotypiæ ſtimulis percita) *flagellis verberaverit ancillam ſuam, itaut intra tertium diem animum cum cruciatu effundat, eo quòd incertum ſit, voluntate, an caſu occiderit; ſi voluntate, poſt ſeptem annos; ſi caſu, poſt quinquennii tempora, actâ legitimâ pœnitentiâ, ad communionem placuit admitti. Quod ſi intra tempora conſtituta fuerit infirmata, accipiat*

commu-

communionem. Quæ diceretur pœnitentia legitima, nempè peragenda ſecundùm canones toto eo tempore, quod dicebatur tempus pœnitentiæ, conſtat ex Burch. lib. 19. & dicetur infra.

Cap. 6. *Si quis verò maleficio interficiat alterum, eo quòd ſine idololatria perficere ſcelus non potuit, nec in fine impertiendam eſſe communionem*, nempè illam plenam pacem, & reconciliationem cum Eccleſia, de qua dictum eſt cap. 1. hujus Synodi. Maleficium autem, quod punitur, erat opus artis magicæ continens adorationem idolo exhibitam.

Cap. 7. *Si quis fortè Fidelis poſt lapſum mœchiæ, actâ per tempora conſtituta legitimâ pœnitentia, denuò fuerit fornicatus, placuit eum nec in fine habere communionem*. Oſtendi autem in Cler. Rom. lib. 1. diſp. 5. nunquam potuiſſe relapſis negari in morte ſacramentalem abſolutionem. Qui ergo hos Patres erraſſe negabit, infligi hic ab eis dicet, ſolam pœnam negatæ Euchariſticæ communionis, imò ſolam pœnam negatæ Eccleſiaſticæ, & plenariæ reconciliationis, ut ſupra dictum eſt.

Cap. 8. *Item fœminæ, quæ nullâ præcedente causâ reliquerint viros ſuos, & alteris ſe copulaverint, nec in fine accipiant communionem*, ſi videlicet (ut addit Burchardus lib. 9. cap.

cap. 62.) *in hoc permanere voluerint*.

Cap. 9. *Item fidelis fœmina, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum ducit, probibeatur, ne ducat: ſi autem duxerit, non priùs accipiat communionem, quàm is, quem reliquerit, de ſęculo exierit, niſi neceſſitas infirmitatis dare compulerit*. Conceditur ei communio poſt mortem relicti conjugis, quia tunc illa poterat alteri nubere, & contrahere verum matrimonium.

Cap. 10. *Si ea quam catechumenus reliquit, duxerit maritum, poteſt ad fontem lavacri admitti* prædictus catechumenus. *Hoc & circa fœminas catechumenas erit obſervandum. Quod ſi fuerit fidelis, quæ ducitur ab eo qui uxorem inculpatam reliquit, & ſcierit, eum habere uxorem, quam ſine cauſa reliquit, placuit huic nec in fine dari communionem*. In prima parte canonis agitur de eo qui uxorem alteri junctam repetere non poteſt, aut ex causâ, ſi qua eſt, non debet, & is admittitur ad Baptiſmum. In ſecunda parte agitur de ea, quæ nupſit illegitimè, & hæc reiicitur.

Cap. 12. *Mater vel pater, vel quælibet fidelis, ſi lenocinium exercuerit, eo quod alienum vendiderit corpus, val potius ſuum, placuit eam nec in fine accipere communionem*. Dicit *ſuum*, quia corpus filii eſt veluti corpus parentum.

Cap.

Cap. 13. *Virgines quæ ſe Deo dedicaverunt, ſi pacta prodiderint virginitatis, atque eidem libidini inſervierint, non intelligentes quid amiſerint, placuit nec in fine dandam eis eſſe communionem. Quod ſi ſemetipſas pœnituerit, quod infirmitate corporis lapſæ fuerint, & toto tempore vitæ ſuæ egerint pœnitentiam & abſtinuerint ſe à coitu, eo quod lapſæ potius videantur, placuit eas in fine communionem accipere debere.* In prima parte Canonis agitur de illis quæ lapſæ non reſipuerunt ſtatim, ſed diu vel etiam uſque ad mortem in peccato ſuo & malâ vitâ perſtitere, in ſecunda verò de illis quæ ex fragilitate lapſæ ſtatim ſurrexerunt, & perpetuam poſtea pœnitentiam peregerunt.

Cap. 14. *Virgines quæ virginitatem ſuam non cuſtodierint, ſi eoſdem qui eos violaverunt, acceperint, & invenerint maritos, eo quòd ſolas nuptias violaverint, poſt unius anni pœnitentiam reconciliari debebunt, vel ſi alios cognoverint viros, eo quod mœchatæ ſint, placuit per quinquennii tempora, actâ legitima pœnitentiâ, admitti eas ad communionem.* In prima parte canonis agitur de puellis, quæ à ſoluto violari ſe permiſerant non violantes jus alterius, ſed ſolùm dehoneſtantes ſe ipſas, & ſuas futuras nuptias, in ſecunda verò parte agitur de illis quæ cognoverant alienum virum, nempè

pè junctum matrimonium, ac proindè ſunt in mœchiam lapſæ.

Cap. 15. *Propter copiam puellarum, gentilibus minimè in matrimonium dandæ ſunt virgines Chriſtianæ, ne ætas in flore tumens in adulterio reſolvatur animæ.* Ideſt, copia puellarum non debet efficere, ut earum cum ethnicis matrimonia permittantur.

Cap. 16. *Hæreticis qui errant ab Eccleſia Catholica, nec ipſis Catholicas dandas puellas; ſed neque Judæis, neque Hæreticis* (alii legunt *Schiſmaticis*, nam de Hæreticis dicitur initio capitis) *dari placuit, eo quod nulla poſſit eſſe ſocietas Fidelis cum inſideli: ſi contra interdictum fecerint parentes, abſtinere per quinquennium placet*, nempè manere per quinquennium excommunicatos. Fortè eadem pœna caſtigandi erant, qui præcedentem Canonem 15. violaſſent, quamvis ibi de pœna nihil dicatur.

Cap. 17. *Si qui fortè Sacerdotibus idolorum filias ſuas junxerint, placuit nec in fine eis dandam eſſe communionem.* Siquidem puellæ his nuptæ in ingens periculum deſerendi veram religionem conjiciebantur.

Cap. 18. *Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, ſi in miniſterio poſiti detecti fuerint, quod ſint mœchati, placuit & propter ſcandalum, & propter nefandum crimen, nec in fine eos commu-*

 nionem

nionem accipere debere. Hìc nomine mœchiæ ſignificari ab his Patribus copulam quamlibet illicitam, dicunt aliqui, nec ſine fundamento, ut ſupra innui.

Cap. 20. *Si quis Clericorum detectus fuerit uſuras accipere, placuit degradari, & abſtinere. Si quis etiam laicus accepiſſe probatur uſuras, & promiſerit correptus, jam ceſſaturum, nec ulterius exacturum, placet ei veniam tribui, ſi verò in ea iniquitate duraverit, ab Eccleſia ſciat, ſe eſſe pro iiciendum.*

Cap. 21. *Si quis in civitate poſitus tres Dominicas Eccleſiam non acceſſerit, tantò tempore abſtineat, ut correptus eſſe videatur.* Ideſt, ut conſtet ejus culpam non diſſimulari, ſed corrigi. In eos autem qui ruri habitabant, non animadvertunt Patres, quia, cùm eo tempore perſecutionum pauciſſimæ in agris, aut pagis eſſent Eccleſiæ, non poterant hi facilè eas adire.

Cap. 22. *Si quis de Catholica Eccleſia ad hæreſim tranſitum fecerit, rurſuſque ad Eccleſiam recurrerit, placuit huic pœnitentiam non eſſe denegandam, eo quod cognoverit peccatum ſuum: qui etiam decem annis agat pœnitentiam, cui poſt decem annos præſtari communio debet. Si verò infantes fuerint tranſducti, quòd non ſuo vitio peccaverint, incunctanter recipi debent.*

Cap.

Cap. 30. *Subdiaconum eum ordinari non debere, qui in adoleſcentia ſua fuerit mœchatus: eo quod poſtmodum per ſubreptionem ad altiorem gradum non ſit promovendus* (qui enim non confeſſus mœchiam ordinabatur, nec illam confitebatur poſtea, & ſic illegitimè ad Diaconatum aſcendebat. V. cap. 76.) *ſi autem aliqui ſunt in præteritum ordinati, amoveantur.*

Cap. 31. *Adoleſcentes, qui poſt fidem lavacri Salvatoris fuerint mœchati, cum duxerint uxores, acta legitima pœnitentia, placuit ad communionem eos debere admitti*; ideſt, ſi reſilientes à vaga, & nefaria libidine caſtum connubium contraxerint, ne, ſi ſoluti maneant, relabantur, poſt legitimam pœnitentiam admittantur. Quamvis enim Pœnitentes deberent abſtinere conjugio, contrahere tamen permittebantur, cùm continere ſe non poterant.

Cap. 32. *Si quis gravi lapſu in ruinam mortis inciderit* (ideſt in mortis articulum, ſeu periculum) *placuit agere pœnitentiam non debere ſine Epiſcopi conſultu, ſed potius apud Epiſcopum agat. Cogente tamen infirmitate non eſt Presbyterorum, aut Diaconorum communionem talibus præſtare debere, niſi eis juſſerit Epiſcopus*. Hinc ſumitur argumentum, nomine *communionis* in hac Synodo ſignificari aut actionem tradendi Euchariſtiam, aut abſolvendi ab

Eccleſiaſticis cenſuris, vel pœnis, & reconciliandi cum Eccleſia, quam etiam Diaconi præſtare poterant, & præſtabant aliquando moribundis.

Cap. 33. *Placuit in totum prohibere Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus poſitis in miniſterio, abſtinere ſe à conjugibus ſuis, & non generare filios: quicunque verò fecerit, ab honore clericatus exterminetur.*

Cap. 37. *Eos qui à ſpiritibus immundis vexantur, ſi in fine mortis fuerint conſtituti, baptizari placet; ſi verò fideles fuerint, dandam eis eſſe communionem. Prohibendum etiam, ne lucernas hi publicè accendant, ſi facere contra interdictum voluerint, abſtineant à communione.* In prima parte canonis agitur de catechumenis energumentis, eoſque debere in morte baptizari, dicitur. In ſecunda parte agitur de energumenis baptizatis, quos in morte Sacramento refici debere, dicitur. In tertia agitur de Clericis energumenis, quibus ſub pœna excommunicationis prohibetur accendere Templi luminaria.

Cap. 40. *Placuit prohiberi, ut cùm rationes ſuas accipiunt poſſeſſores, quicquid ad idolum datum fuerit, acceptum non ferant; ſi verò poſt interdictum fecerint, per quinquennii ſpatia temporis*

poris à communione eſſe arcendos. Sumptus in honorem idoli factos ab œconomis, non eſſe acceptos ferendos à Dominis, hoc Canone decernitur, ne aliquem honorem diis falſis tribuiſſe viderentur.

Cap. 41. *Admoneri placuit Fideles, ut quantum poſſint, prohibeant, ne idola in domibus ſuis habeant: ſi verò vim metuunt ſervorum, vel ſeipſos puros conſervent* (nec ea colentes, nec eorum cultum ullo ſigno approbantes). *Si non fecerint, alieni ab Eccleſia habeantur*.

Cap. 44. *Quæ fuerit aliquando meretrix, & poſtea habuerit maritum, ſi poſtmodum ad credulitatem* (ſcilicet ad fidem) *venerit, incunctanter placuit, eſſe recipiendam*.

Cap. 45. Qui aliquando fuerit catechumenus per infinita tempora (nempe multo tempore, ſeu incerto, ut aliqui exponunt) *& nunquam ad Eccleſiam acceſſerit* (ſcilicet poſtea ut baptizaretur) *ſi eum de clero quiſquam agnoverit, voluiſſe eſſe Chriſtianum, aut teſtes aliqui extiterint fideles, placuit ei baptiſmum non negari, eo quòd in veteri homine deliquiſſe videatur*, quia videlicet per hanc ſuam negligentiam, vel inconſtantiam peccavit ante baptiſmum: peccata autem ante baptiſmum commiſſa facilè remittebantur.

Cap. 56. *Si quis fidelis apoſtata per infinita*

tempora ad Eccleſiam non acceſſerit, ſi tamen aliquando fuerit reverſus, nec fuerit idololatra (ideſt receſſerit quidem à Religione Chriſtiana, ſed poſtea manſerit nec Chriſtianus, nec idololatra) *poſt decem annos placuit eum communionem accipere.*

Cap.57. *Si quis fidelis habens uxorem, non ſemel, ſed ſæpe fuerit mœchatus, in fine mortis eſt conveniendus. Quod ſi ſe promiſerit ceſſaturum, detur ei communio. Si reſuſcitatus* ideſt morbo mortali liberatus *rurſus fuerit mœchatus, placuit ulteriùs, eum non ludere de communione pacis*, ſeu, ut habet Burchar.lib.9.cap.67. hunc Canonem afferens, *placuit ulteriùs non illudere alios de communione pacis*. Quibus ultimis duobus verbis confirmatur quod initio dixi, hoc concilio nomine communionis ſignificari plenam cum Eccleſia reconciliationem, & reſtitutionem pacis cum ea.

Cap. 59. *Admoneri placuit poſſeſſores, ut non patiantur fructus ſuos, quos à Deo percipiunt cum gratiarum actione, à Judæis benedici, ne noſtram irritam, & infirmam faciant benedictionem. Si quis poſt interdictum facere uſurparit, penitùs ab Eccleſia abjiciatur.*

Cap. 50. *Si verò quis clericus fuerit ſive fidelis, qui cum Judæis cibum ſumpſerit, placuit, eum à communione abſtineri, ut debeat emendari.*

Cap.51.

Cap. 51. *Ex omni hæreſi qui ad nos fidelis venerit, minimè eſt ad Clerum promovendus, vel, ſi qui ſunt in præteritum ordinati, ſine dubio deponantur.*

Cap. 52. *Si qui inventi fuerint libellos famoſos in Eccleſia ponere, anathematizentur.*

Cap. 54. *Si qui parentes fidem fregerint ſponſaliorum, triennii tempore abſtineant ſe à communione.* (Sponſalia olim ſine parentum conſenſu non celebrabantur, ut Paullus docet lib. 35. ad edictum in lib. 7. de Sponſal.) *Si tamen iidem ſponſus, vel ſponſa in illo gravi crimine fuerint deprehenſi, excuſati erunt parentes. Si verò in eodem fuerint vitio, & polluerint ſe conſentiendo, ſuperior ſententia ſervetur.* Ideſt, ſi iidem parentes filiis ſponſalia infringentibus conſenſerint, triennio maneant excommunicati.

Cap. 55. *Sacerdotes qui tantùm ſacrificantium coronam portant, nec ſacrificant, nec de ſuis ſumptibus aliquid idolis præſtant, placuit, poſt biennium accipere communionem.* Aliqui fideles, ut hìc notat Gonzalez, poſt baptiſmum ſacerdotia Gentilium obibant vel ambitione, vel neceſſitate, unde eos vocat idem Concilium cap. 2. & 3. *Flamines*. Non omnes autem ſacerdotes ſacrificabant, ſed aliqui adſtabant hoſtiæ & aræ, & quidem coronati, hique hìc puniuntur.

Cap. 56. *Magiſtratum verò, anno uno, quo agit duumviratum, prohiberi placet, ut ſe ab Eccleſia cohibeat*. Munia aliquot quamvis publica, & honorifica, ſi præſertim gravia eſſent, & oneroſa propter ingentes ſumptus, non ſolùm permiſſa fuere Chriſtianis ſed juſſa ab Ethnicis Principibus. Inter hæc munia, ſeu magiſtratus, erat duumviratus, ad quem ſpectabat præbere publicos ludos, & quamvis, cùm ederentur, multa ſuperſtitioſa fierent, dicunt aliqui permiſſum ab hoc Concilio fuiſſe, ut Chriſtiani neceſſitate cogente gererent hunc magiſtratum, & hos ludos exhiberent, ac ſolùm prohibitos fuiſſe, eo tempore magiſtratus qui uno anno explebatur, accedere ad Eccleſiam. Verùm honori hujus Concilii magis conſulat, qui prohibitum quidem ab eo hunc eorum acceſſum ad Eccleſiam dicit, eam tamen permiſſionem negat, cùm eam is Canon nec contineat, nec ſupponat. Non enim qui Chriſtianum hominem arcet ab Eccleſia, dum fungitur aliquo munere, functionem ei permittit, quin potius prohibet, eumque ea ſegregatione punit. Quod ipſum dixerim de Sacerdotio Flaminum, quod permiſſum retineri, aliqui fortè non bene colligunt ex hujus Synodi cap. 2. & 3. quibus potius prohibetur, cùm illa utroque eo capite puniantur, à quibus hoc profanum Sacerdotium

non

non videtur ſeparari potuiſſe.

Cap. 57. *Matronæ, vel earum mariti veſtimenta ſua ad ornandam ſæculariter pompam non dent, &, ſi fecerint, trienni tempore abſtineantur.* Nomine autem *pompæ* ludos circenſes fuiſſe appellatos indicat Sueton. in Claud. c. 11. & alii.

Cap. 59. *Prohibendum, ne quis Chriſtianus, ut Gentilis ad idolum Capitolii, ſacrificandi cauſa, aſcendat, & videat: quod ſi fecerit, pari crimine teneatur: ſi fuerit fidelis poſt decem annos, actâ pœnitentia, recipiatur.* Capitolium, cujus hic fit mentio, eſt quodlibet templum inſtar Capitolii Romani in aliis civitatibus celſiori loco ædificatum, in quo publica ſacrificia offerri ſolebant, ſicut & Palatii vox uſurpatur pro celſioribus, amplioribuſque domibus, quamvis initio ſolam Imperatoris Romani domum in Palatino monte ædificatam ſignificaret, ut hic obſervat Binius ex Baron. in Not. ad Martyrol. Rom.

Cap. 60. *Si quis idola fregerit, & ibidem fuerit occiſus, quia in Evangelio non eſt ſcriptum, nec invenitur ab Apoſtolis unquam factum, placuit, eum in numerum non recipi Martyrum.* Novum id genus pœnæ fuit quæ mortuos pertingeret, quos non eſſe honorandos ut Martyres, hæc Synodus decernit. Quamvis non

non tam pœna fuit hæc iis inflicta qui mortui erant, quam eruditio viventium, ne ſimilia facerent, quibus Ethnici irritarentur, & perſecutiones in Chriſtianos excitarent, ut non ſemel accidit ex inconſulto aliquorum fervore, aut ambitione, aut etiam amore lucri. Non enim defuerunt ex Chriſtianis (ut innuit S. Aug. in breviculo collationum 3. diei cap. 15.) homines facinoroſi, aut ære alieno gravati, aut deſides, qui hæc faciebant in Gentiles, eorumque ſacra, ut in carcerem conjecti, ibi alerentur uſque ad delicias, & ditarentur etiam, pietate & eleemoſinis Chriſtianorum. Ut hujus mali occaſio tolleretur, docerenturque fideles, non eſſe hujuſmodi auſis imprudentibus turbandam Eccleſiæ pacem, ſtatuit hæc Synodus, ne Martyres haberentur, qui ad idolorum ſtatuas infringendas, quod nec Chriſtus faciendum eſſe docuit, nec factum fuerat ab Apoſtolis, proſilirent, & ob id ab Ethnicis necarentur.

Cap. 61. *Si quis poſt obitum uxoris ſuæ ſororem ejus duxerit, & ipſa fuerit fidelis, quinquennio à communione placuit abſtineri; niſi fortè dari pacem velociùs, neceſſitas coegerit infirmitatis*. Ea verba, *& ipſa fuerit fidelis*, fuerunt adjecta, quia ſi ea gentilis fuiſſet, ex geminato ſcelere major pœna fuiſſet infligends.

Cap. 62. *Si auriga aut pantomimi credere volue-*

voluerint, placuit ut priùs artibus ſuis renuncient (illi ſiquidem ludis circenſibus in honorem Deorum celebratis præſtare operam ſuam cogebantur, hi præter aliquam ſuperſtitionem, qua ipſi quoque Deorum facta repræſentantes; vel ludicra in honorem Deorum exhibentes inficiebantur, obſcœnæ populi voluptati ſerviebant.) *Quod ſi facere contra interdictum tentaverint, projiciantur ab Eccleſia.*

Cap. 63. *Si qua mulier per adulterium, abſente ſuo marito conceperit, idque poſt facinus occiderit, placuit ei, nec in fine dandam eſſe communionem, eo quod geminaverit ſcelus.*

Cap. 64. *Si qua mulier uſque in finem mortis ſuæ cum alieno fuerit viro mœchata, placuit nec in fine dandam ei eſſe communionem. Si verò eum reliquerit, poſt decem annos accipiat communionem, actâ legitimâ pœnitentiâ.*

Cap. 65. *Si cujus Clerici uxor fuerit mœchata, & ſciat eam maritus ſuus mœchari, & eam non ſtatim projecerit* (& per hoc conſentire viſus fuerit) *nec in fine accipiat communionem, ne ab his qui exemplum bonæ converſationis eſſe debent, videantur magiſteria ſcelerum procedere.*

Cap. 66. *Si quis privignam ſuam duxerit uxorem, eo quod ſit inceſtus, placuit nec in fine dandam eſſe ei communionem.*

Cap. 67. *Prohibendum, ne qua fidelis, vel* *cate-*

catechumena aut comicos, aut viros ſcenicos habeat. Quæcunque hoc fecerit, à communione arceatur. Cum his contrahi matrimonia noluerunt, qui non ſolum infamia laborabant, ſed ſuperſtitione etiam, ut erat infelicitas eorum temporum, infici ſolebant, ut dicebam ſupra.

Cap. 69. *Si quis fortè habens uxorem ſemel lapſus fuerit, placuit, eum quinquennio agere pœnitentiam, & ſic reconciliari, niſi neceſſitas infirmitatis coegerit ante tempus dare communionem. Hoc & circa fœminas obſervandum.*

Cap. 70. *Si conſcio marito fuerit mœchata uxor, placuit nec in fine dandam ei eſſe communionem* (nempe in pœnam lenocinii, cujus reus eſt maritus, quo conſcio uxor mœchatur) *Si verò eam reliquerit, poſt decem annos accipiat communionem, ſi eam, cum ſciverit adulteram, aliquo tempore in domo ſua retinuit*, tanquam ei conſentiens, ac proinde mœchiæ pœna dignus.

Cap. 71. *Stupratoribus puerorum nec in fine dandam eſſe communionem.*

Cap. 72. *Si qua vidua fuerit mœchata, & eundem poſtea habuerit maritum, poſt quinquennii tempus actâ legitima pœnitentiâ, placuit eam communioni reconciliari. Si alium duxerit, relicto illo* (eumque infidelem) *nec in fine dandam ei eſſe communionem; vel ſi fuerit ille fidelis, quem accepit, communionem non accipiat, niſi*

poſt

poſt decem annos actâ legitima pœnitentiâ, niſi infirmitas cogerit velociùs dare communionem. Hic mœchia latè accipitur pro fornicatione ſimplici, nam agitur de vidua peccante cum ſoluto, quem proinde poſtea maritum habet: niſi velis eam peccaſſe cum uxorato, quem poſtea, uxore mortua, habet maritum.

Cap.73. *Delator ſi quis extiterit fidelis, & per delationem ejus aliquis fuerit proſcriptus, vel interfectus, placuit, eum nec in fine accipere communionem. Si levior cauſa fuerit, intra quinquennium accipere poterit communionem. Si catechumenus fuerit, poſt quinquennii tempora admittatur ad Baptiſmum.*

Cap.74. *Falſus teſtis, prout crimen eſt, abſtinebitur* (ideſt ſi grave & capitale fuerit quod objecit, abſtinebitur in perpetuum.) *Si tamen non fuerit mortis quod objecit, & probaverit, quod diu tacuerit, biennii tempore abſtinebitur* (ideſt ſi illud quod objecit non fuerit capitale, & probaverit, ſe non ſponte ad teſtimonium ferendum proſiliiſſe, ſed diu tacuiſſe, & veluti adactum ad id fuiſſe, biennii communione privetur.) *Si autem non probaverit in conventu Clericorum, placuit per quinquennium abſtineri.*

Cap.65. *Si quis autem Epiſcopum, Preſbyterum, vel Diaconum falſis criminibus appetierit, & probare non potuerit, nec in fine dandam*

ei eſſe communionem. Hi tres propter rerum Eccleſiaſticarum adminiſtrationem,& judicia erant magis obnoxii calumniis, à quibus proinde fideles fuerunt magis abſterrendi.

Cap. 76. *Si quis diaconum ſe permiſerit ordinari, & poſtea fuerit in crimine detectus mortis* (ſub quibus vocibus triplex crimen tunc ſignificabatur, nempe idololatria, mœchia, & homicidium) *quod aliquando commiſerit, ſi ſponte fuerit confeſſus, placuit eum, actâ legitimâ pœnitentiâ poſt triennium accipere communionem: quod ſi alius eum detexit, poſt quinquennium, actâ pœnitentiâ accipere communionem laicam debere*. Igitur qui unum ex prædictis tribus criminibus commiſerat, quamvis occultò, ordinari diaconus non poterat, immo nec ſubdiaconus, ut dicitur cap. 30. Laica communio erat illorum qui in templo non admittebantur intra cancellos in loco, quem modo dicimus chorum, ſed extra in loco laicis deſtinato. Ii ergo qui hoc in loco, & non ſuperiori quem dixi, manere poterat, frui tantum laica communione dicebatur, qua ipſa aliquando privabantur toto vitæ tempore Clerici (ut illi, de quibus agit Felix III. in ea epiſt. ad Epiſcopos Africæ cap.2.) dicebanturque in morte ad laicam communionem recepti, non quod in morte Euchariſtiam in tali loco cum laicis acciperent,

perent, ſed quod eſſent tunc in ordinem fidelium laicorum recepti.

Cap. 78. *Si quis fidelis habens uxorem, cum Judæa, vel Gentili fuerit mœchatus, à communione arceatur. Quod ſi alius eum detexerit, poſt quinquennium actâ legitimâ pœnitentiâ, poterit Dominicæ ſociari communioni.* Semel mœchatus quinquennali pœnitentiâ caſtigatur Canon. 69. Is ergo Canon additur ad ſeveriùs puniendum qui non mœchatur utcunque ſed cum Judæa, vel Gentili, quod certè eſt turpius & gravius adulterium. Cur ergo in prima parte Canonis non ſtatuitur tempus pœnitentiæ, & in ſecunda ſolo quinquennio culpa punitur & quidem etiam dum non confitetur ipſe, ſed ab alio accuſatur? Igitur in prima parte Canonis aliquid deeſt, & in ſecunda eſt aliquid mutatum, & unus annorum numerus pro alio poſitus.

Cap. 79. *Si quis fidelis aleâ, ideſt tabulâ luſerit, placuit eum abſtinere, & ſi emendatus ceſſaverit, poſt annum poterit communioni reconciliari.* Dicitur *vel tabula* eo quod is ludus fiat in tabula talis, ſeu taxillis, vel teſſeris, eſtque plerumque magnorum ſcelerum aliorumque malorum cauſa, vel occaſio, ac proinde hac pœna dignus: tunc autem potiſſimum erat, cum ut hic dicit Albaſpinæus, *ſpeciem quandam idololatriæ committeret, qui hos talos jactabat.* *Deo-*

Deorum enim Gentilium effigies pro numeris habebant, iique invocabantur, ut feliciſſimus eveniret jactus.

2 Hi ſunt celebres Concilii Illiberitani Canones, qui videntur potius dicendi pœnales, quam pœnitentiales, juxta ea quæ dixi cap. 1. iis enim, quos feriunt, ſolam plerumque excommunicationem, ſeu privationem plenæ reconciliationis cum Eccleſia, aut perpetuam, aut uſque ad articulum mortis duraturam, aut aliquot annorum intentant: hæc autem excommunicatio pœna potius eſt, quam pœnitentia. Adhuc tamen verè pœnitentiales dici poſſunt; cùm non ſemel innuant Patres, debere eum qui abſtinetur, ſeu arcetur à communione, & pace Eccleſiæ, vacare interim legitimæ pœnitentiæ. Quæ autem eſſet hæc legitima pœnitentia, & qualiter diſtribuenda, & per quos ex illis quatuor gradibus, & quandiu in ſingulis peragenda; nunquam definiunt, quia fortè id antea definitum erat, ut videlicet ea vel triennii, vel quinquennii, vel ſeptennii, vel decennii pœnitentia in quatuor, aut ſaltem tres partes divideretur, æquales ex lege, ſed inæquales ex facto, nimirum ex ipſa contritione, aut viribus pœnitentium: prout enim pœnitens magis aut minùs contritus videbatur, & onus impoſitum ferre poterat, magis aut minus detineri in unoquo-

que

que gradu, vel ſtatione debebat, ſi tamen recepta in Eccleſia erat ea ducta per illos quatuor gradus pœnitentiæ.

3 Minùs autem detineri voluerunt Illiberitani Patres, quàm prædicti Patres Græci, ut audiiſti; cùm cap. 5. homicidæ etiam ex voluntate delinquenti ſeptem dumtaxat annorum pœnitentiam imponant, Baſilius autem pluſquam duplo, & Gregorius Nyſſenus pluſquam triplo majorem ſtatuant. Quod in mœchia, aliiſque delictis animadvertere ſimiliter potes, nimirum in illis ipſis, quæ nec in morte fuerunt in aliquibus Eccleſiis abſoluta, ut oſtendi in Cler. Rom. lib. 1. diſp. 2. Ex quo etiam capite confirmatur quod initio hujus capitis dixi, haudquaquam credibile eſſe, tam ſeveros hos ipſos Patres in eos fuiſſe, quos nec in morte recipi volunt ad communionem, ut verè mori eos voluerint nec vinculis peccatorum à Sacerdote abſolutos, nec Eucharistiâ refectos, quod ſanè ſi voluiſſent, ſeveriùs in eos qui lapſi erant in hæreſim, homicidium, & mœchiam animadvertiſſent, quàm faciant cap. 5. 22. 56. 57. 59. 64. & 72. Ego certè aliam inire viam nequeo, qua hos Patres tam crebrò communionem morientibus abnegantes vindicem, ut par eſt, ab ea ſeveritate, quam ab Eccleſia abeſſe voluerunt illi ipſi Patres Græci qui eos Canones tam

ſeveros condidere, quamque rejecere ſemper & rejici ſemper debere Pontifices ſanctiſſimi docuere, ut oſtendi in Cler. Rom. lib. 1. diſp. 2.

Explicatâ jam diſciplinâ pœnitentiæ, quam ſtatuit Synodus Illiberitana, exponenda jam eſſet ea, quæ aliis hoc tempore celebratis conciliis placuit: ſed ea explicatione non indiget; tum quia eorum Canones facilè intelliguntur; tum quia, ſi qui obſcuriores ſunt, & certam explicationem recipere poſſunt, ex dictis clareſcunt. Præterquamquod eſſet opus infinitum perſequi omnes particularium Conciliorum Canones, qui ad hanc diſciplinam, de qua agimus, ſpectant. Satis ergo erit, ut quoniam produxi Canones unius Concilii à Latinis Patribus celebrati, producam etiam Canones ſaltem aliquos alterius Concilii à Græcis Patribus circa idem tempus celebrati.

§. II.

Canones aliquot Synodi Ancyranæ.

4 PAulo poſt Illiberitanam, ut videtur, celebrata hæc Synodus fuit, nempe anno 314. Diſtinctiſſimè autem totam cauſam lapſorum expendit, & eorum diverſos lapſus per hos Canones curari vult.

Cap. 4.

Cap. 4. *De iis, qui vi ſacrificaverunt, & præterea ad idola pranſi ſunt. Quicunque abducti quidem, & lætiore habitu acceſſerunt, & veſte ſumptuoſiore uſi ſunt, & parati prandii non ægrè id ferentes, participes fuerunt, viſum eſt anno audire, tribus autem annis ſubſterni, ac ſupplices eſſe, ſoli autem orationi duobus annis communicare, & tunc ad id quod eſt perfectum accedere.*

Cap. 5. *Quicunque autem cum veſte lugubri acceſſerunt, & accumbentes comederunt, interea toto accubitus tempore lacrymas fundentes, ſi triennale ſubſtrationis tempus impleverint, ſine oblatione recipiantur* (ſcilicet ſoli orationi communicantes ſint cum fidelibus qui conſiſtunt; nec offerant, nam qui offerebant, boni etiam, nempe Euchariſtiæ participes erant) *Si autem non comederint, cùm duobus annis ſupplices, ſubſtratique fuerint, tertio anno communicent ſine oblatione* (nempe communicent in ſola oratione nec ipſi offerentes, ſed priùs quàm priores reconciliandi) *ut id quod perfectum eſt triennio accipiant* nempe Euchariſtiæ communionem, & plenam reconciliationem cum Eccleſia. *Statuimus autem, ut Epiſcopi, modo converſationis examinato, poteſtatem habeant vel utendi clementia, vel plus temporis adjiciendi. Ante omnia autem & præcedens vita, & quæ conſe-*

cuta eſt examinetur, & ſic eis clementia impertiatur.

Cap. 6. *De iis qui ſupplicii minis, & bonorum ablationis, vel exterminationis tantùm ceſſerunt, & ſacrificaverunt, & ad præſens uſque tempus pœnitentiam non egerunt, nec converſi ſunt, nunc autem circa tempus Synodi proceſſerunt, & converſionis cogitationem induerunt, viſum eſt ad magnum uſque diem* (nempè ſanctum Paſcha) *eos ad auditionem admitti, & poſt magnum diem tribus annis eſſe ſupplices, & ſubſterni, & poſt alios duos annos communicare ſine oblatione, & ſic ad id quod perfectum eſt venire, ut totum ſexennium impleant: ſi qui autem ante hanc Synodum ad pœnitentiam admiſſi ſunt, ab illo tempore eis ſexennium reputari. Sed ſi periculum, mortiſque expectatio ex morbo, vel aliqua alia occaſione evenerit, ii ſub definitione recipiantur*, ideſt ii recipiantur, & abſolvantur, utpotè ſub ipſam vitæ definitionem, ſeu finem conſtituti, ſeu, recipiantur, & abſolvantur, ut definitum eſt.

Cap. 7. *De iis qui in feſto ethnico, in loco gentilibus deputato convivati ſunt, & proprios cibos attulerunt, & comederunt, viſum eſt, cùm biennio ſubſtrati fuerint, eſſe recipiendos. An unumquemque autem cum oblatione recipere oporteat, eſt Epiſcoporum examinare, & aliam*

vitam

vitam in unoquoque inquirere, nempè vitam priorem delicto, & præſentem.

Cap. 8. *Quicunque autem bis, vel ter ſacrificarunt per vim, triennio ſubſternantur, duobus autem annis ſine oblatione communicent, & ſeptimo perfectè recipiantur.*

Cap. 9. *Quicumque autem non ſolùm deſciverunt, ſed etiam inſurrexerunt, & fratres ſuos coegerunt, & cauſæ fueruut, ut cogerentur, ii annis quidem tribus auditionis locum ſuſcipiant, alio autem anno ſine oblatione communicent, ut decennio expleto, ejus quod eſt perfectum, ſint participes. Eorum autem in eo quoque tempore vitam examinare oportet.*

Simili diſtinctione cap. 16. curant eos qui cum pecoribus, vel more pecudum cum propinquo ſanguine mixti ſunt. *Quicunque priuſquam viginti quidem annos nati eſſent, peccarunt, poſtquam quindecim annis ſubſtrati, ac ſupplices fuerint, communionem ad preces aſſequantur. Deindè & cum in communione quinque annis perſeveraverint, oblationem attingant. Examinetur autem & eorum in ſubſtratione vita, & ita humanitatem conſequantur. Si qui autem improbè, ac malignè in peccatis fuerunt, longè ſubſtrationem habeant. Quicumque autem hanc ætatem tranſgreſſi, & habentes uxores, in hoc peccatum inciderunt, viginti annis*

ſubſtrati, communionem ad preces aſſequantur. Deindè, cùm in precum communione quinque annos peregerint, oblationem aſſequantur. Si qui autem & mulieres habentes, & quinquageſimum annum tranſgreſſi, peccaverunt, in vitæ exitu communionem aſſequantur.

Cap. 20. *Si alicujus uxor adulterata fuerit, vel quis eam adulteraverit, oportet eam in ſeptem annis quod perfectum eſt, aſſequi per gradus qui eò deducunt.*

Cap. 21. *De mulieribus, quæ ſunt fornicatæ, & fœtus in utero perimunt, & fœtuum necatoriis medicamentis dant operam, prior quidem definitio uſque ad vitæ exitum prohibebat, & ei quidam aſſentiuntur. Sed humanitate tamen utentes decrevimus, ut decennium per gradus præfinitos impleant.*

Cap. 22. *De voluntariis cædibus, ſupplices quidem ſubſternantur, eo autem, quod perfectum eſt, in fine vitæ digni habeantur.*

Cap. 23. *De involuntariis cædibus prior quidem conſtitutio jubet in ſeptennio per præfinitos gradus eſſe perfecti participes: ſecunda verò* conſtitutio *quinquennium implere.*

Cap. 24. *Qui vaticinantur, & gentium conſuetudines ſequuntur, vel in ſuas ædes aliquos introducunt ad medicamentorum inventionem, vel luſtrationem, in quinquennii canonem*

inci-

incidant ſecundum gradus præfinitos, tres annos ſubſtrationis, & duos annos orationis ſine oblatione.

Hæc fuit cenſura Patrum Ancyranorum, qui in eam urbem ex Cappadocia, Ponto, Armenia, Cilicia, & Syria convenerunt. Mirum eſt autem ab ea ſic diſcrepaſſe prędictorum Patrum Græcorum, & præſertim Baſilii, & Gregorii Nyſſeni cenſuram, in aliquo minus, ſed in pleriſque ſeveriorem.

§. III.

Canones Pœnitentiales Nicæni.

5 NUnc videndum quid utrique Patres Latini Græcique paulò poſt in magna Synodo Nicęna circa pœnitentiam lapſorum ſanciendum putarint. Sunt autem hæc tantùm, ſaltem quæ extant.

Can. 10. *Quicumque de lapſis ad ordinem cleri promoti ſunt per ignorantiam, vel per ordinantium diſſimulationem, hoc Eccleſiaſticæ non præjudicat regulæ, cogniti namque deponuntur.*

Can. 11. *De his qui præter neceſſitatem prævaricati ſunt, aut præter ablationem facultatum, aut præter periculum, vel aliquid huiuſmodi, quod factum eſt ſub tyrannide Licinii, pla-*

placuit Synodo, quamvis humanitate probentur indigni, tamen eis benevolentiam commodari. Quicumque ergo veraciter pœnitudinem gerunt, tribus annis fideles inter audientes habeantur, & ſex annis omni ſe contritione deiiciant: duobus autem annis ſine oblatione populo in oratione communicent.

Can. 12. *Quicunque vocati per gratiam primum quidem impetum monſtraverunt deponentes militiæ cingulum; poſtmodùm verò ad proprium vomitum ſunt relapſi, itaut quidam & pecunias tribuerent, & beneficiis militiam repeterent* (parati videlicet fidem ejurare, aut etiam eo facto ejurantes, ne eo cingulo, quod magnum honorem, & privilegia plura afferebat, carerent) *hi decem annis poſt triennii tempus, quo inter audientes erunt, in afflictione permaneant. Sed in his omnibus propoſitum, & ſpeciem pœnitentiæ convenit explorare. Quotquot enim metu, & lacrymis, atque patientia, vel bonis operibus, rebus ipſis converſionem ſuam non ſimulatione demonſtrant, hi definitum tempus auditionis implentes, tum demùm fidelibus in oratione communicent: poſtmodùm verò licebit Epiſcopo de his aliquid humanius cogitare. Quicumque verò indifferenter tulerunt* (ita ſe gerentes, ac ſi non peccaſſent, nec differrent ab aliis, vel itaut nec impœnitentes eſſent, nec

admo-

admodum pœnitentes) *& aditum introeundi Eccleſiam ſibi arbitrati ſunt ad converſionem poſſe ſufficere, hi deſinitum modis omnibus tempus impleant.*

Can. 13. *De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua, regulariſque ſervabitur, itaut ſi quis egreditur de corpore, ultimo, & maximè neceſſario viatico minimè privetur*) nomine autem viatici ſignificari hìc non ſolam abſolutionem ſacramentalem, ut aliqui dicunt, ſed etiam Euchariſtiæ communionem, præter interpretationem Eccleſiæ, & Synodorum hunc canonem exponentium, quas allegavi in Cler. Rom. lib. 1. diſp. 4. ſequentia verba demonſtrant) *Quod ſi deſperatus* (de vita) *& conſecutus communionem, oblationiſque particeps factus, iterum convaluerit, ſit inter eos, qui communionem orationis tantummodò conſequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu poſito, & poſcenti ſibi communionis gratiam tribui, Epiſcopus probabiliter* (ideſt, poſtquam probaverit, & cognoverit, poſcentem eſſe benè diſpoſitum) *ex oblatione dare debebit.* Dare autem ex oblatione utique eſt Euchariſtiam impertiri.

Can. 14. *De Catechumenis lapſis ſancto, & magno Concilio placuit, ut tribus annis ſint inter audientes tantummodò: poſt hæc autem cum*

Ca-

Catechumenis orent, nempè cum Catechumenis competentibus,qui erant magis propriè Catechumeni.

Hi ſunt hujus Concilii Canones pœnitentiales, neſcio tamen, an certus ſit numerus annorum, quibus manere in pœnitentia jubentur qui hic caſtigantur. Nam Canon undecimus eos qui præter neceſſitatem lapſi ſunt, punit annis undecim ex interpretatione Dionyſii exigui, quam ſecutus ſum, at ex interpretatione Herueti, & Iſidori mercatoris punit annis duodecim, jubens eos manere non ſex, ſed ſeptem annos in proſtratione; in expoſitione autem fidei Nicænæ, quæ eſt apud Ruffinum lib. 11. Eccl. hiſt. cap.6. ubi iidem Canones referuntur, tota pœnitentia ſeptem annis completur, nec eodem modo diſtribuitur: ſic enim dicitur. *Si qui abſque tormentis in perſecutione lapſi ſunt, & ex corde agunt pœnitentiam, quinque annos inter catechumenos faciant, & duobus annis poſt hoc, fidelibus tantùm in oratione jungantur, & ità poſtmodum ſuſcipiantur*, & conſentiunt Patres Concilii Arelatenſis 11. celebrati, ut eſt probabile, tempore Siricii, in quo is eſt Canon decimus. *De his qui in perſecutione prævaricati ſunt, ſi voluntariè fidem negaverint, hoc de eis Nicæna Synodus ſtatuit, ut quinque annos inter catechumenos exigant, & duos inter communi-*

municantes, *itaut communionem inter pœnitentes non præſumant* (& hoc ipſum tempus contrahi poſſe ab Epiſcopo ſtatim ſic dicitur) *in poteſtate tamen*, *vel arbitrio ſit Epiſcopi*, *ut ſi eos ex animo errorem deflere*, & *agere pœnitentiam viderit*, *ad communionem pro Eccleſiaſtica humanitate ſuſcipiat*. Contra, Concilium Valentinum antè Arelatenſe celebratum, nempè an. 374. indicare videtur, nihil definitum circa tempus à Patribus Nicænis in curatione lapſorum, aut eis injunctam perpetuam pœnitentiam: ſic enim Canone 3. *Circa eorum verò perſonas*, *qui ſe poſt verum*, & *ſanctum lavacrum vel profanis ſacrificiis Dæmonum*, *vel incerta lavatione polluerunt*, *eam cenſuræ formam duximus eſſe ſervandam*, *ut his juxta Synodum Nicænam ſatisfactionis quidem aditus non negetur*, *ne infelicibus lacrymis vel ſolatii janua deſperatione claudatur*: *acturi verò pœnitentiam uſque in diem mortis*, *non ſine ſpe tamen remiſſionis*, *quam ab eo plenè ſperare debebunt*, *qui ejus largitatem*, & *ſolus obtinet*, & *tam dives miſericordia eſt*, *ut nemo deſperet*. *Deus enim mortem non fecit*, *nec lætatur in perditionem vivorum*.

His confici videtur, quod ſupra dicebam, non ita certum eſſe numerum annorum in his pœnitentiis canonicis, uti nec gradus, & ordinem

nem in illis diſtribuendis ſervatos, aut ita locutos antiquiores Patres diſciplinæ pœnitentialis auctores, aut amplificatores, ut locum reliquerint diverſæ interpretationi, quin etiam diverſæ determinationi pro diverſitate vel temporum, vel locorum. Hinc idem delictum eodem modo commiſſum ab aliquibus fuit (ut audiiſti) decem, ab aliis quindecim, ab aliis viginti, & triginta, ab aliis tandem perpetua pœnitentia, ab aliis ſola excommunicatione, vel maxima, & plena, eâque perpetuâ, vel aliquot annorum, vel non plena, vindicatum. Et hoc modo plerumque delinquentes plectit Illiberitanum Concilium, quamvis agi interim pœnitentiam ab abſciſſis debere, innuat, ut dixi. Hoc modo in tam multos animadvertit circa eadem tempora Concilium Gangenſe, omnes anathemate percellens nihil de gradibus, vel annis pœnitentiæ decernens. Hoc modo plerique etiam horum ipſorum ſeculorum, nempè quarti, & quinti, in quibus modo verſamur, Conventus; quod facit ut opiner, non fuiſſe ita univerſalem, ut creditur, exceptis paucis majoribus delictis, hanc quam propoſui curandorum pœnitentium per illos gradus, & innumeras ceremonias diſciplinam.

Ea fortè univerſalior, ac diuturnior fuit; qua non determinabantur tempora, & gradus

pœni-

pœnitentiæ, ſed ceremoniæ quædam, aliaque, quibus Ordo ipſe Pœnitentium benè, & ſalubriter conſtitueretur, quas hìc recenſere, & alia perſequi, quæ fortè hac ſuper re, de qua agimus, dicenda ſuperſunt, operæ pretium erit.

CAPUT VI.

Regulæ Ordinis Pœnitentium horumque exercitationes, laboreſque, dum in pœnitentia detinebantur.

1 CAutum primò fuit à Siricio Epiſtola 10. & antè ipſum ab aliis, aut Pontificibus, aut Conciliis, *ne ulli Clerico concederetur agere pœnitentiam*, nempè publicam, & ſolemnem ſupra deſcriptam, quæ ipſa tamen conceſſa aliquando fuit, imò juſſa, Clerico tamen è ſuo gradu dejecto, & in ordinem laicorum redacto. Cauſa hujus legis ea fuit, ne apud laicos vileſceret Ordo Clericorum, & præſertim eorum qui Sacramenta adminiſtrabant, & Altari propiùs ſerviebant: viluiſſet autem, ſi hos peccare, ut ipſi peccabant, & ſimiliter puniri, ſciviſſent, & vidiſſent omnes.

Statutum ſecundò fuit ab eodem Siricio, & ab aliis, ne ulli laico poſt publicam, & canoni-

nonicam pœnitentiam *liceret honorem Clericatus adipiſci*.

2 Statutum tertiò fuit à Concilio Romano celebrato ſub Silveſtro, & ab aliis Patribus, ne ad hunc Ordinem pœnitentium admitterentur juniores, qui ejus oneribus ferendis pares non eſſent: hæc autem onera erant, ut conſtabit ex Patrum, ſeu Pontificum ſententiis, quas afferam infra, abſtinere à conviviis, à ſpectaculls, ab omnibus publicis muneribus, omnique Reipublicæ adminiſtratione, à militia, à negotiatione, ab omni cultu corporis, ab uſu vehiculi, vel etiam equi, à contrahendo conjugio, vel ſi contractum eſſet, ab ejus uſu.

Et ideò cautum quartò fuit, & à Concilio Arelatenſi 2. confirmatum, ne pœnitentia conjugato, niſi altero conjuge conſentiente, daretur.

Statutum 5. fuit ex Conc. Agath. aut potius omnium Eccleſiarum conſuetudine, ut ſolemnis hæc admiſſio, & cooptatio ad hunc Ordinem in die Cinerum celebraretur: reconciliatio autem ſimiliter publica in Cœna Domini peragеretur.

Statutum 6. fuit, & à Sirico confirmatum, ne iis qui poſt publicæ pœnitentiæ profeſſionem ad eadem aut ſimilia crimina relapſi fuiſſent, iterum publicam pœnitentiam profiteri per-

permitterentur, de quo multum diſputavi in Clerico Rom. lib. 1. diſp. 5.

3 Statutum 7. fuit, ut Pœnitentes humilitatem ſemper præſeferrent, & ideò decretum in Concilio Carthag. fuit, ut etiam *diebus remiſſionis*, puta Paſchalibus *genua flecterent*.

Statutum 8. fuit, ut habitu proprio, nempè vili, & lugubri uterentur, additumque à Concilio Arelatenſi, ut ſi quis eum deponeret, & *ad habitum ſecularem* rediret, *alienus ab Eccleſia haberetur*.

Statutum 9. fuit à Concilio Africano, imò lege communi, ut *Presbyter inconſulto Epiſcopo non reconciliaret pœnitentem*, nempè eâ, qua reconciliaretur cum Eccleſia, & pœnis quibuſdam Canonicis abſolveretur.

Cautum 10. fuit à Felice III. in allegata Ep. 7. ad univerſos Epiſcopos, ne alterius Diœceſis Pęnitens ſine teſtimonialibus ſui Epiſcopi litteris reciperetur. His aliiſque ſimilibus legibus Ordo Pœnitentium ſtetit, tertio præſertim, quarto, quintoque Eccleſiæ ſęculo, cujus temporis canonicam diſciplinam in plectendis delinquentibus, & curandis pœnitentibus hìc tibi deſcribere, ea qua potui diligentia, curavi.

4 *Cler.* Et effeciſti quidem diligentiſſimè. Unum tantùm videris ſubticuiſſe. Quibus videlicet

delicet corporis afflictationibus exercerentur Pœnitentes, dum in quatuor illis, quas deſcripſiſti, ſtationibus detinebantur, quibus jejuniis, vigiliis, aliiſque hujuſmodi laboribus veniam mererentur. Nam quos citaſti Canones, id ſolum mandant, ut Pœnitens biennio e. g. defleat ante fores Templi, triennio audiat, quinquennio ſubſternatur, alio demum biennio cum Fidelibus conſiſtat, de vigiliis autem, jejuniis, aliiſque hujuſmodi pœnitentiæ laboribus altum ſilentium. Num tota illa ſtationaria pœnitentia in ſolis ſubmiſſionibus, fletibus, & cęremoniis conſiſtebat? Magna quidem illa fuiſſet, & plena pudoris, & humilitatis, ſed fortè non integra, nec ſatis probabilis, ſi potuiſſet interea pœnitens domi lætari, epulari, aliiſque voluptatibus indulgere.

Auct. Phariſaica abſque dubio fuiſſet iſthęc pœnitentia. Hinc autem collige, talem eam non fuiſſe. Igitur dum Pœnitens in prædictis illis ſtationibus detinebatur, ab iis omnibus abſtinere jubeatur, quæ ſupra numeravi, nempè conviviis, ludis, ſpectaculis, vehiculis, ornatibus, conjugio, uſuque conjugii, negotiatione, omnique publici muneris exercitio. Hæc enim Canones pœnitentibus in hunc Ordinem cooptatis injungunt, cooptabantur autem prima die, qua ſtationariam illam, ſua publicam pœnitentiam auſpi-

auſpicabantur, inque eo Ordine, ſi præſertim delicta fuerant enormia, & primi generis, perſeverabant ſemper, etiam poſt reconciliationem, ut dicebam, niſi Epiſcopus ejus vincula relaxaſſet. An iſthæc omnium munerum, utilitatum, honorum, commodorum, & voluptatum abdicatio videntur tibi levis pœnitentia? Sed nec illa deerant, quæ dicebas, jejunia rigidiſſima, vigiliæ, cilicium, aliaque hujuſmodi. Hæc enim ne ommitterentur, aſſiduè Patres inculcabant, eorumque non paucos textus attuli in Cler. Rom. lib. 1. diſp. 9. Et quidem omitti minimè debuiſſe conſtat 1. ex lege Pœnitentiæ Catechumenorum, cujus ſupra memini. Dixi autem Pœnitentes fuiſſe ſeveriùs caſtigatos. Si ergo illis jejunia aliaque hujuſmodi impoſita fuere, quis neget, eadem, aliaque etiam duriora fuiſſe Pœnitentibus impoſita? Conſtat 2. ex lege Pœnitentiæ Clericis lapſis impoſitæ: pœnitentia autem Clericorum à pœnitentia Laicorum in hoc ſolum differebat, quod illa ſecreta, hæc publica erat.

5 *Cler.* Ecquæ nam erat iſta lex pœnitentiæ Clericalis.

Auct. Eam recitat Gratianus diſt. 82. can. fin. ex Concilio Hibernenſi, ſed eſt longè antiquior, & eorum temporum, quæ modo percurrimus, nam ibidem tribuitur Silveſtro Papæ.

Eſt autem hujuſmodi. „ Presbyter ſi fornica-
„ tionem fecerit, quanquam ſecundùm Cano-
„ nes Apoſtolorum debeat deponi, tamen jux-
„ ta auctoritatem B. Silveſtri Papæ, ſi non in
„ vitio perduret, ſi ſua ſpontè confeſſus adje-
„ cit, ut reſurgeret, decem annis in hunc mo-
„ dum pœniteat. Tribus quidem menſibus
„ privato loco à cæteris remotus pane, & aqua
„ à veſpera in veſperam utatur: tantùm autem
„ diebus Dominicis, & præcipuis feſtis modi-
„ co vino, & piſciculis, atque leguminibus re-
„ creetur, ſine carne, & ſagimine, & ovis,
„ & caſeo; & ſacco indutus, humo adhæreat,
„ die ac noctè jugiter miſericordiam Dei om-
„ nipotentis imploret. Finitis tribus menſibus
„ continuis exeat, tamen in publicum non pro-
„ cedat, ne grex fidelis in eo ſcandalum patia-
„ tur. Nec enim debet Sacerdos publicè pœ-
„ nitere ſicut laicus. Poſtea aliquantisper re-
„ ſumptis viribus annum unum, & dimidium
„ in pane, & aqua expleat, exceptis Dominicis
„ diebus, & præcipuis feſtivitatibus, in quibus
„ vino, & ſagimine, ovis, & caſeo juxta ca-
„ nonicam menſuram uti poterit. Finito pri-
„ mo anno, & dimidio, corporis & ſanguinis
„ Domini noſtri, ne indureſcat, particeps fiat,
„ & ad pacem veniat, pſalmos cum fratribus
„ ultimus in choro canat, ad cornu Altaris non

„ acce-

„ accedat, juxta Beati Clementis vocem mi-
„ nora gerat officia. Deindè verò uſque ad
„ expletionem ſeptimi anni, omni quidem
„ tempore, exceptis tribus Paſchalibus diebus,
„ tres legitimas ferias in unaquaque hebdoma-
„ da in pane & aqua jejunet. Expleto anni
„ ſeptimi circulo, ſi fratres apud quos pœ-
„ nituit, ejus condignam pœnitentiam lauda-
„ verint, Epiſcopus in priſtinum honorem jux-
„ ta Beati Calixti Papæ authoritatem eum po-
„ terit revocare.... Eadem quoque pœniten-
„ tia erit Sacerdoti de omnibus aliis peccatis,
„ & criminibus, quæ eum in depoſitionem ad-
„ ducunt. Neque hoc cuilibet videatur one-
„ roſum, ſi Sacerdos poſt lapſum dignè, ut
„ ſupra dictum eſt, pœnitens ad priſtinos re-
„ deat honores.

Cler. Unum ſcire volebam, tu verò, qui beneficia facis cumulatiſſimè, duo me ſcitu digniſſima docuiſti, quæ videlicet Pœnitenti laico per eos quatuor gradus ad Altaris communionem enitenti fuerint indicta jejunia, quæque lex fuerit Presbytero clam pęnitenti à Patribus conſtituta. Unum ſupereſt, quod hic me doceas, an videlicet Canones ſæculorum quæ fluxere poſt quintum, vel ſextum, eandem diſciplinam firment, eaſdemque pęnitentias imponi, aut proponi mandent.

CAPUT VII.

Quæ fuerit à ſæculo quinto, vel ſexto uſque ad duodecimum in plectendis delinquentibus, & curandis Pœnitentibus Græcarum Eccleſiarum diſciplina.

1 ACT. Circa tempus Pœnitentiæ, Canones quinto aut ſexto ſæculo poſteriores, nec perpetuam imponunt, ut Illiberitani, nec ita longam, ut Baſiliani, Gugorianique, ſed aut triennem, aut quinquennem, aut ſeptennem, aut decennem, ſi rariſſimum aliquem eventum excipias.

Circa modum verò, cùm Pœnitentium curatio appendix eſſet ejus curationis, qua curabantur Catechumeni, cùmque hi, reddita Eccleſiæ pace, nec adeò jam periclitante Neophytorum conſtantiâ, non fuerint ampliùs per eos gradus tam ſtudiosè curati, nec fuere ſimiliter per eos omnes gradus ducti Pœnitentes. Deſierunt antem potiſſimum compelli ad audiendam iterum, ac tandiù inſtructionem Fidei, nec fuerunt ampliùs coacti manere tandiù proſtrati ſub manibus Sacerdotum, expiatorias illas cęremonias obeuntium: hinc Auditio-

ditionis, & Proſtrationis vix unquam ex eo tempore mentio facta. Hæc retenta fuere, nempè ejectio delinquentium è Templo, eorundem, cùm reſipiſcerent, fletus ante fores Templi, aliqua tandem ipſorum intra Templum ſegregatio, cum cœremoniis eâ die cinerum, & Cœnæ Domini fieri conſuetis. Hæc manſere circa liturgiam. Onera etiam illa propria Ordinis Pœnitentium, abſtinendi videlicet ab omnibus ferè humanæ vitæ commodis & voluptatibus manſere, ſaltem in Eccleſiâ Latinâ. Tota demùm manſit, aut etiam crevit diſciplina jejuniorum, hiſque duobus præſertim conſtat, quæ poſt ea ſæcula per Canones, aut Pontificium ſententias imponitur pœnitentia, aut imponenda dicitur in libris Pœnitentialibus, ut ex iis, quæ afferam conſtabit; afferam autem hìc quæ pertinent ad Eccleſiam Græcam, allaturus capite ſequenti, quæ pertinent ad Latinam.

2 Celebris in Eccleſia Græca pœnitentiarum imponendarum magiſter fuit circa finem ſæculi ſexti Joannes, ob longa, & continuata jejunia dictus Jejunator, profeſſione Monachus, inde factus Patriarcha Conſtantinopolitanus. Is in ſuo Pœnitentiali, pœnitentiæ tempus, & modum definit accuratè. Circa tempus ſic habet:

„ Quæcunque perpetrata ſunt ante annum „ trigeſimum ſive à viris, ſive à mulieribus, „ facilè & celeriter condonentur, qualiacunque „ ſint, itaut duorum, vel trium annorum pœ„ nam non excedant, niſi cædes ſit quælibet, „ magnaque aliqua ſanguinis permixtio, ſive „ inceſtus. Eorum verò, quæ poſt annum tri„ geſimum perpetrantur, pœnæ in annum ter„ tium & quartum extenduntur. Ubi verò cæ„ des eſt una aut plures, aut magnorum ince„ ſtorum aliquod, veluti cum ſorore germana, „ ſive ex patre, ſive ex matre, vel filii uxore, „ vel ſuſceptrice, vel eorum, qui duas ſorores „ matrimonio, aut contubernio ſibi copulant, „ vel in novercas furunt, in annum duodeci„ mum pœna prorogatur. Si verò filiâ potia„ tur, quam de fonte ſuſcepit, vel in propriam „ matrem, vel in propriam filiam, in annum „ uſque decimum quintum. Si verò ſecundum „ naturam tantùm peccavit, nec in ea, quæ „ præter naturam ſunt, incidit, nec in inceſta, „ qualiacunque ſint, & quota, in annum, aut „ ſexquiannum puniri oportet. Si autem à mu„ lieribus cædes variæ, & magiæ factæ ſunt, „ vel uſque ad ea, quæ ſunt præter naturam, „ proceſſum fuerit, ad octennium, & decen„ nium eas puniri oportet.

In viris igitur, maxima pœnitentia eſt quin-

quindennii, in mulieribus decennii, minima verò eſt anni.

3 „ De pœna autem infligenda lapſis Cle-
„ ricis majoribus hæc habet. Epiſcopi, Sacerdo-
„ tes & Diaconi qui in gradu ſunt, vel earum
„ uxores ad peccatorum confeſſionem ſuſci-
„ piendi non ſunt, niſi ſecundum Deum pro-
„ mittant, quod ſi alicujus criminis rei ſunt,
„ quod eos à ſacris Ordinibus exercendis pro-
„ hibeat, non ampliùs ſacris miniſtrare aude-
„ bunt. His enim non datur pœnitentia quæ-
„ cunque illa ſit, ſive cibi, ſive potus, ne qui-
„ dem omnino à communione abſtinentia, ſed
„ ſola à ſacro miniſterio ceſſatio. Nihil autem
„ abdicat Sacerdotem Sacerdotii functione, niſi
„ alteri mulieri præterquam ſuæ miſceatur. Si
„ enim vel in unam ſolam inciderit, ſacrifican-
„ di poteſtate abdicatus eſt, licet martyrium
„ decertaret, & mortuos ſuſcitaret.

Cler. Igitur pœna his infligenda, non decem tantum aut viginti annorum erat, ſed perpetua?

Auct. Ita quidem, ſed hæc erat ſimplex pœna, non verò pœnitentia, quam ita longam impoſitam hoc tempore fuiſſe negavi: hinc idem dicit, prædictis ita lapſis nullam dari pœnitentiam. Igitur ea ab exercitio ſui muneris abdicatio pœnitentia non erat, fuiſſetque iiſ-

dem imponenda, etiamſi eos ſui delicti minimè pœniteret: pœnitentia autem non imponitur niſi jam pœnitenti, ut alibi dixi.

4 Hæc autem ipſa pœna, ut juſtiſſimè fuit inflicta omnibus ſacris Eccleſiæ miniſtris, præſertim Græci ritus, qui ſuas uxores retinere permittebantur, ita ſeveriſſimè videtur impoſita pro lapſu occulto, & cognito per ſolam lapſi ſecretam confeſſionem, ut hìc imponi is Auctor mandat, in reliquis non admodum rigidus, in hac autem lege retinenda fortaſſe rigidior, quam pati poſſit hominis conditio: hinc enim factum fuit, ut Græci Sacerdotes omiſerint confiteri ante ſacrum miniſterium, qualecunque peccatum antea commiſiſſent, ut notat Arcudius de pœnit. cap. 2. quod facit, ut credam, id non fuiſſe tam rigidè ab antiquis illis Patribus mandatum.

5 Circa modum, quo Pœnitens manere, & communicare debet in Templo, quo orare, quo tandem jejunare, multa docet idem Jejunator.

„ Quod ad liturgiam attinet, cum Cate„ chumenis exire è templo, & in Narthece ſta„ re jubentor. (Narthez dicebatur à Græcis infima pars Templi prope portam, ibique ſtabant Pœnitentes, Energumeni, & Cate„ chumeni) In Veſperis verò, & matutinis of-

„ ficiis,

„ ficiis, & aliis liberum omnino erit illis ſtare
„ in Templo, ubi voluerint. Cùm verò Pœ-
„ nitens voluerit, in Nativitate Chriſti, & in
„ Epiphania, & tribus Paſchatis diebus, vide-
„ licet magna feria quinta, & magno Sabbato,
„ & magna Dominica, & cum ſanctorum Apo-
„ ſtolorum memoria celebratur, aliquid com-
„ munionis participare poteſt, Epiphaniæ ſci-
„ licet ſanctificationem.

Vult enim, ut Pœnitentes, dum peragunt pœnitentiam à communione Euchariſtiæ abſtineant; immo hortatur eos, ut abſtineant etiam poſtea, ſi interim relapſi ſint: vult tamen ut confiteantur quoties ceciderint. De differendâ autem relapſis abſolutione, quam Græci ſtatim poſt confeſſionem dabant, nihil habet.

„ De orationibus verò hæc habet. Tres
„ inſuper tota die orationes facient, mane, &
„ cùm comeſturi ſunt, & in hora cœnæ, &
„ cùm dormitum ſecedent. In unaquaque au-
„ tem oratione, qui ſciunt, dicent pſalmum 8.
„ triſagion, Pater noſter; Kirie eleiſon centies,
„ Deus propitius eſto mihi peccatori octies &
„ Pœnitentias facient octo (nempe genufle-
xiones, ſeu proſtrationes totius corporis, quas
„ metaneas vocabant) Quibus hoc non pla-
„ cuerit, aut qui nom potuerint, dimidiam iſto-
„ rum partem facient. Qui verò ne hoc qui-

„ dem,

„ dem, tertiam partem. Omnibus autem Sab-
„ batis & Dominicis, & feſtis, & dodocaeme-
„ ro, & ſimiliter diebus, qui Paſcha ſequuntur
„ uſque ad feſtum omnium Sanctorum, ſive
„ Dominicam Trinitatis in orationibus genua
„ non flectent, ſed ſe tantum leviter inclina-
bunt. (Dodocaemeros apud Græcos duodecim illi dies ſunt qui incipiendo à die Nativitatis fluunt ante Epiphaniam.)

6 De modo jejunandi agit fuſiùs, triplicemque regulam proponit, excipit autem ſervos, & ancillas, quibus ſolam mediam partem ejus pœnitentiæ, quæ aliis imponitur, imponi debere, monuit antea.

„ Quod verò ad cibum, & potum atti-
„ net, quantum uniuſcujuſque natura, inge-
„ nium, electio, virtus, & diſpoſitio ferre po-
„ terit.

„ Hæc eſt prima caſtigationis, & pœni-
„ tentiarum à me data definitio. Feria 2. 4.
„ & *6.* oleum comedere, & legumina cum ole-
„ ribus tantùm. Abſtinere verò à caſeo, ovo,
„ & carne, & piſcibus. Tertia verò, & quinta
„ feria omnia liberè comedere præter carnem.
„ Sabbato verò, & Dominica in cibo, & potu
„ nullo modo puniri, ſed in omnibus liberum
„ eſſe non ſecus ac illi, qui nullo epitimio te-
„ nentur, hoc eſt in vino, in carne, & reliquis
omni-

„ omnibus. Eadem ratio erit in omnibus feſtis „ Domini, & ſanctiſſimæ Dei Genitricis, & „ duodecim Apoſtolorum. Similiter & in feſto „ S. Joannis Baptiſtæ, & dodocaëmero, & Pa„ ſchatis ſeptimana, & quæ Pentecoſten ſequi„ tur. (In illis etiam diebus qui utrumque Paſcha interfluunt, & in hebdomadis ſeptuageſimæ, & ſexageſimæ pœnitentiam ferè penitùs „ relaxat, ſubditque.) Semper autem conve„ nit, pœnitentiâ affectos, ſi poſſibile eſt, vini „ determinatam quantitatem habere, exceptis „ Sabbatis, Dominicis, & Feſtis. Non conce„ datur autem feriis 2.4.& 6. vini libram unam „ habere. Decernimus autem, ut à carne ab„ ſtineant duabus Quadrageſimis, ſancti ſcili„ cet Philippi, & Sanctorum duodecim Apo„ ſtolorum. In magna autem Quadrageſima, „ ſi fieri poteſt, à piſcibus abſtinebunt, præter „ Sabbata, & Dominicas &c.

7 „ Secunda definitio eſt hujuſmodi. Si „ pœnitentia mulctati non poſſunt, potiùs ve„ rò ſi nolunt primæ definitioni acquieſcere, „ quartam, & quintam feriam tranſigant om„ nino puras, & illibatas, hoc eſt carnem, & „ caſeum, & ovum, & piſces ne guſtent, præ„ ter oleum, legumina, & olera. Cæteri verò „ quinque ſeptimanæ dies ſint in omnibus illis, „ & ſecundum omnia liberi, itaut unuſquiſque

juxta

„ juxta profeſſionem & conditionem ſuam comedat, hoc eſt ſæculares in omnibus relaxentur, ad caſeum uſque lac, & ovum.

„ Tertia definitio, quæ ex neceſſitate, & „ indigentiâ proficiſcitur, eſt hujuſmodi. Si „ neque ſic iſta quæ dicta ſunt, amplectuntur, „ vel propter deliciarum amorem, vel vanam „ gloriam, vel infirmitatem, duos illos ſeptimanæ dies, ut dictum eſt, puros, & illibatos toto pœnitentiæ tempore ita obſervent „ ſæculares, ut piſces comedant.

„ Ut autem initio ita præfatus erat, *Eum* „ *qui multa peccavit, cùm animo eſt remiſſo, &* „ *ſegni, caſtigatione affici parum ſevera contingit, ne pœnæ gravitate abſorbeatur, & animo languens omnia deſerat*, quod confirmat ex Patribus hanc benignitatem inculcantibus, ita traditis prædictis tribus definitionibus concludit. *Non ſum neſcius, me propter iſtam œconomiam & diſpenſationem, nimiùm humanæ infirmitati compatientem à Deo communi omnium judice condemnandum fore, ſed tamen melius mihi eſt in ejuſmodi ſic judicari, quàm ut inhumanus, & auſterus laudari*. Et poſtea. *Hæ ſunt definitiones epitimiorum leviſſimorum quidem, & nimia relaxatione facillimorum à me traditorum. Iſtius diſcretionis, & moderationis auxilium dedit nobis Magnus Baſilius dicens, hæc*

hæc omnia ſcribimus, ut Pœnitentiæ fructus probemus. Non enim omnino iſta tempore judicamus, ſed attendimus ad modum, & formam pœnitentiæ.

8 Hæc Jejunator, juſtò benignior habitus à multis Græcis ſcriptoribus, in Sanctorum tamen album à Græcis ipſis relatus, & à fori pœnitentialis Rectoribus in illis Eccleſiis receptus. Siquidem alter Joannes profeſſione Monachus, qui circa eadem tempora ſuum libellum pœnitentialem edidit, eandem aut paulò diverſam doctrinam tradit, & in titulo *de incertis, & eorum pœnitentiis*, recenſitis illis tam longis, quæ olim impoſitæ ferebantur, pœnitentiis, ſubdit, *Iſta non ego, abſit, neque eorum qui meo tempore vixerunt, aliquis &c.* Definita autem ea omnia fuiſſe ab Apoſtolis, & poſtea à S. Baſilio dicit, additque. *De impiæ, & impuræ mollitiei vitio, nihil definierunt ſancti Apoſtoli, neque aliquid aliud de eo dixerunt &c. Sancti verò Patres, ſolum quadraginta dies, ut collyrium oculis laboranti definierunt. Ipſi enim, & qui eos ſecuti ſunt, omnibus peccata ſecundum naturam confitentibus, pœnitentias unius anni, duorum, aut trium, vel etiam unius impoſuerunt, rectè & ſanctè per eos ſaeculum præſens ad uniuſcujuſque utilitatem regente, & moderante. Hoc enim ſi factum non fuiſſent,*

pauci

pauci admodum, & facilè numerandi, ad pœnitentiam confugiſſent.

Baſilii autem diſcipulus is Auctor in facie ſui libri inſcribitur, ejuſdemque Baſilii doctrinæ adhærere ſe profeſſus eſt ſub finem ſui libri (ut vidimus) Joannes Jejunator, aut igitur Baſilius imponi noluit pœnitentias tam prolixas, ut ſunt, quæ ejus epiſtolâ canonicâ continentur, aut eas proponi ſolum voluit accedentibus ad ſacramentum Pœnitentiæ, & pro cujuſque viribus, & voluntate temperari.

9 Hinc intelliges, quâ ratione ſub finem ſeptimi ſæculi, Patres Concilii in Trullo congregati, Can. 2. ejuſdem Baſilii, Gregorii, reliquorumque Patrum Græcorum Canones confirmarint: non enim eos confirmarunt ita ut voluerint compelli pœnitentes ad eas pœnas ſubeundas; cùm confirmarint etiam aliquot Concilia, quorum Canones diverſi erant ab illis prædictorum Patrum; cùmque iidem ipſi Patres Baſilius, Gregorius aliique, valde diverſos Canones condidiſſent, qui proinde omnes obſervari ſimul non poterant, (non enim poterat ex. gr. homicidæ imponi ſimul pœnitentia viginti annorum à Baſilio ſtatuta, & viginti ſeptem à Gregorio Nyſſeno decreta) ſed eos confirmarunt, ita ut voluerint eos obſervari, ut ferebat prædicti utriuſque Joannis, & reli-

quo-

quorum eorum temporum Canoniſtarum interpretatio, vel itaut ſolùm ſignificarint, recipere ſe eas Canonicas epiſtolas prædictorum Patrum, & velle ut haberentur tanquam eorum Antiſtitum fœtus germani & genuini, & ſanam doctrinam continentes, ut recipit Eccleſia libros Moyſis, nec tamen vult, omnia quæ in illis præcipiuntur, obſervari.

Cæterùm poſt quintum ſæculum, nullus novus Canon pœnitentialis, ut videtur, conditus fuit in Conciliis, extra Eccleſiam Latinam celebratis, ſed multi pœnales, quibus Clerici gravia quædam delicta committentes deponuntur, & laici excommunieantur. Relicta igitur Eccleſiâ Græcâ, oſtendo nunc, quod initio hujus capitis promiſi, quæ fuerit Eccleſiæ Latinæ hoc eodem tempore in curandis Pœnitentibus diſciplina.

CAPUT VIII.

Quæ fuerit per eadem tempora in Eccleſia Latina infligendæ pœnæ, vel imponendæ pœnitentiæ diſciplina.

1 UT eam quæ tradebatur in Græcia, ex libris ejus Eccleſiæ pœnitentialibus didicimus, ſic eam, quæ recepta tunc fuit in Eccle-

cleſia Latina, ex hujus Eccleſiæ ljbris pœnitentialibus diſcimus. Hujuſmodi autem librorum uſus, quamvis, ut alibi diximus, fuerit antiquiſſimus, crevit tamen maximè poſt ſæculum ſextum, itaut innumeri hujuſmodi tractatus circumferrentur. Celeberrimi tamen & probatiſſimi fuere tres, nempe quem ſcripſit Theodorus à Vitaliano Papa ordinatus Epiſcopus, & in Angliam miſſus, & alius quem poſtea Beda ſcripſit, inſcripſitque *de remediis peccatorum*, & Romanus. Et quamvis primi non habeamus aliud, quam fragmenta quædam à Canonum collectoribus ſuis libris inſerta, nec alii duo ſint modò illi ipſi penitùs qui initio fuerunt, cùm tamen illa ipſa primi fragmenta ſatis innuant, qualis eſſet diſciplina tota, & reliqui duo ſolâ additione aliquorum, quæ rem ipſam non mutant, differant, ut videntur, à genuinis, ſatis diſcere ex illis poteris, quæ tunc à viris ſapientibus probaretur Ethica pœnitentialis.

2 Ut autem brevitati conſulam, & magis veritati, proponam tibi quibus pœnitentiarum remediis curari peccatores voluerit Beda, cujus liber eſt omnium breviſſimus, magis ſincerus, & veluti ſumma illius quem paulò ante ſcripſerat Theodorus, cujus hìc mentionem facit, tanquam Doctoris, quem ipſe ſequitur, & ſequi alii debeant, ut alios ſanctos Patres, cum qui-

bus

bus eum allegat. Igitur poſt brevem præfationem, eique adnexam ad Sacerdotes animarum curatores adhortationem ſic de gravioribus quibuſdam, aut magis communibus delictis pronunciat.

3 „ Cap. 2. Adoleſcens, ſi cum virgine peccavit annum unum pœniteat. Si ſemel & „ fortuitò levietur, & tamen uſque ad annum „ plenum (*ideſt pœniteat quidem anno toto, ſed* „ *intra hunc annum poſſit aut pauciora jejunia* „ *facere, aut minùs rigida &c.*) Si nitens tan„ tum, & non coinquinatus, viginti dies pœ„ niteat (*jejunando in pane, & aqua.*) Si vi„ dua conſtuprata, annum totum, & dies jeju„ niorum in altero (*ideſt anno ſecundo jejunet* „ *in pane & aqua in diebus jejuniorum commu*„ *nium.*) Si uſque ad generatûm filium, an„ nos duos integros, & duos alios levius. (*Ideſt ſi peccatum conſummaverint, & filium genuerint, quatuor annis pœniteant, duobus prioribus rigidiùs, minus rigidè poſtea, ut dicetur infra.*) Si & occiderint (*filium gene*„ *ratum*) annos tres, & alios quatuor levius. „ Si monachus laicam (*cognoverit*) tres annos „ pœniteat, illa duos, & legitimas ferias (*nem*„ *pè jejunando feriis 2. 4. & 6.*) Si monacham „ laicus, duos annos pœniteat, & legitimas „ ferias, illa tres. Si uſque ad generatum fi-

„ lium annos quatuor, ſi & occiderint, ſeptem „ annos pœniteant. Si quis vacans (*ideſt ſolutus*) uxorem alterius polluit, duos annos „ pœniteat. Si uxoratus virginem, ſimiliter, „ itaut primo horum à ſuâ contineat, ſi ei conſenſerit: alioquin addatur modus pœnitentiæ. (*Ideſt ſi uxor repugnarit, & noluerit abſtinere à congreſſu maritali, tunc marito adultero imponatur loco hujus alia pœnitentia.*) Si uxoratus uxorem alterius, tres annos pœniteat, „ primo horum à propria conſentiente abſtineat: Si uxoratus ancillam ſuam, annum „ unum pœniteat, & tres quadrageſimas, & „ legitimas ferias tribus menſibus primis, & à „ ſua ſe contineat. Illa, ſi invita paſſa eſt, „ quadraginta dies pœniteat: ſi conſentiens „ tres quadrageſimas, (*intra eundem annum, & jejunando in pane, & aqua*) Si adoleſcens ſororem, ſeptem annos pœniteat: ſi „ matrem, ſeptem annos, & quandiù vixerit, „ nunquam ſine pœnitentia: Si Sodomitæ annos ſeptem: ſi in conſuetudine, annos ſeptem „ (*fortè hic eſt error*) vel ſi monachus, annos „ ſeptem, ſi inter femora tres Quadrageſimas. Si parvulus vi oppreſſus talia patitur, „ quadraginta dies pœniteat, vel pſalmis, vel „ continentia (*ideſt abſtinentia ciborum*) caſtigetur. Mulier qualicunque molimine &c.

„ Qui

„ Qui diutiùs fornicationi, perjurio, latroci-„ niis, cæteriſque flagitiis ſervivit, annos ſe-„ ptem pœniteat &c. Pueri ſeſe inter femora „ ſordidantes, dies centum pœniteant, majo-„ res (*ideſt adoleſcentes, ſeu juvenes*) tres Qua-„ drageſimas, ac legitimas ferias &c. Qui com-„ plexu fœminæ illecebroſo, vel oſculo pol-„ luitur, dies triginta pœniteat. Qui contactu „ ejus inverecundo ad carnem, tres menſes „ pœniteat. Puer ſe ipſum voluntariè pol-„ luens triginta dies pœniteat, juvenis quadra-„ ginta. Qui in turpiloquio polluitur negli-„ gens, ſeptem dies pœniteat. Qui impugna-„ tione cogitationis, & naturæ inquinatur no-„ lens, per quatuos dies quinquagenos pſalmos „ canat, & quarta, & ſexta feria jejunet ad „ nonam, vel ad veſperam &c. Qui in Eccle-„ ſia per ſomnium polluitur, tres dies pœni-„ teat.

4 „ Uxoratus contineat ſe quadraginta dies „ ante Paſcha, & Natale Domini, & omni die „ Dominico, & quarta, & ſexta feria, à con-„ ceptione manifeſtata uſque poſt natam ſobo-„ lem. Vir contineat ſe ab uxore tres menſes, „ uxor poſt natam ſobolem abſtineat ſe ab Ec-„ cleſia, ſi filius eſt, dies triginta, ſi filia qua-„ draginta, ſed etiam in tempore menſtrui ſan-„ guinis, nam qui tunc ſumperit, triginta dies

„ pœniteat, qui ſeptem dies (hic eſt aliquid „ mutatum, aut detractum &c.) Parens cujus „ filius per negligentiam non baptizatus objit, „ unum annum pœniteat, & nunquam ſit ſine „ aliqua pœnitentia.

5 „ Cap. 3. Qui occiderit monachum, vel „ clericum, arma relinquat, & Deo ſerviat, „ vel ſeptem annos pœniteat. Qui laicum odii „ meditatione, vel poſſidendæ hæreditatis ejus, „ annos quatuor. Qui pro vindicta fratris, unum „ annum: & in ſequentibus duobus annis tres „ Quadrogeſimas, ac legitimas ferias. Qui per „ iram ſubitam, & rixam tres annos pœniteat. „ Qui caſu unum annum, qui in bello publico, „ dies quadraginta. Qui jubente Domino ſuo, „ ſervus, dies quadraginta. Qui liber, jubente „ majore ſuo, innocentem (*occiderit*) annum „ unum, & ſequentes duos, tres quadrageſi- „ mas, & legitimas ferias. Qui ſuper rixam „ ictu debilem, vel deformem hominem red- „ dit, impenſas in medicos, & maculæ pre- „ tium, & opus ejus, donec ſanetur, reſtituat, „ & dimidium annum: ſi verò non habet unde „ reſtituat hæc, annum integrum (*pœniteat*) „ Qui ad feriendum hominem ſurrexerit, vo- „ lens eum occidere, duas ſeptimanas pœni- „ teat, ſi Clericus fuit, ſeptem menſes. Quod „ ſi & vulneraverit dies quadraginta, ſi Cleri-

„ cus

„ cus annum totum &c. Mulier partum ſuum
„ ante dies quadraginta ſponte perdens unum
„ annum pœniteat, ſi verò poſt quadraginta
„ dies, tres annos pœniteat, ſi verò poſtquam
„ natus fuit, quaſi homicida.

„ Cap. 4. Qui manducat carnem immun-
„ dam, aut dilaceratam à beſtiis, quadraginta
„ dies pœniteat &c. (*Hæc de non manducanda carne, quæ dicebatur immunda, obſervata aliquandiù fuerant in Eccleſia, at mandatum de abſtinendo à ſanguine, & ſuffocato, & alia hujuſmodi ad politiorem quandam diſciplinam, & ad ea removenda, quæ quamvis culpa non ſint, videbantur aliquibus eſſe argumentum animi non uſquequaque compoſiti, & bene temperati.*)

Hæc aliaque circa tempus pœnitentiæ tradit is Auctor; circa verò modum ſub finem cap. 7. hæc addit idem, aut alius quiſpiam, ſed auctor paulò poſterior, cum eadem antiqui Canoniſtæ doceant tanquam ex prioribus doctoribus, ſeu Conciliis collecta.

„ Pœnitentia ſemper iſto ordine ſervata
„ ſit ab uno anno, & deinceps de qualicunque
„ peccato (*ideſt pœnitentia unius anni, aut plurium annorum ſic fiat in unoquoque an-*
„ *no.*) In unaquaque hebdomada tres dies ſine
„ vino, & medone (*eſt genus potionis; quæ autem illa fuerit, ignorat Antonius Auguſtinus*

 in

in notis ad Pœnit. Rom. tit. 1. *cap.* 11. *verſ.* 23.)
„ & carne, & jejunet uſque ad veſperam, &
„ manducet de ſicco cibo, & tres Quadrageſi-
„ mas ſemper de ſicco cibo, (*qualis erat pa-*
„ *nis*, *legumina*, *poma*, *&* *olera*) & jejunet
„ tres dies ad nonam, & tres ad veſperam. In
„ diebus Dominicis, & in Natale Domini qua-
„ tuor dies, & in Epiphania, & in Paſcha uſque
„ in albas, & Aſcenſione Domini, & Pente-
„ coſte, & S. Michaelis, & S. Mariæ, & S. Jo-
„ annis Baptiſtæ & duodecim Apoſtolorum, &
„ S. Martini, & illius Sancti feſtivitate, qui in
„ illa provincia eſt, in his prædictis diebus
„ (*loco jejunii*) faciat charitatem, ſicut ſui
„ compares clerici, ſivè laici. Ebrietatem, &
„ ventris diſtenſionem in omnibus caveant.
„ Tunc ergo digna pœnitentia eſt, ſi hoc im-
„ pleatur.

6 Circa redemptiones impoſitæ pœnitentiæ vel idem, vel alius, circa medium cap. 14.

„ Qui autem, quod in Pœnitentiale ſcri-
„ ptum eſt, implere poterit, bonum eſt, qui
„ autem non poteſt, conſilium damus per mi-
„ ſericordiam Dei, in primis pro uno die in
„ pane, & aqua quinquaginta pſalmos genufle-
„ ctendo, aut ſine flexu, ſexaginta pſalmos
„ intra Eccleſiam, vel in uno loco per ordi-
„ nem pſallat: & pro uno die valent ducentæ

„ genu-

„ genuflexiones, vel unus denarius pro die va-
„ let, & tres eleemoſinæ tribus pauperibus va-
„ lent: quidam dicunt quinquaginta percuſſio-
„ nes, quinquaginta pſalmi pro uno die va-
„ lent &c. Item pro uno menſe, quem in pane,
„ & aqua pœnitere debet, pſalmos in genufle-
„ xu, vel ſine flexu: ideſt ſexcentos octogin-
„ ta, & poſtea omnes dies reficiat ad ſextam,
„ niſi quarta, & ſexta feria jejunet ad nonam.
„ A carne, & vino abſtineat ſe: alium cibum
„ poſtquam pſallat, ſumat. In ſecundo anno
„ remiſſior pœnitentia erit de Natale Domini
„ uſque in Epiphaniam, & illos prædictos dies
„ qui ſupra ſcribuntur, qui in pœnitentia non
„ computantur.

„ Item qui non poteſt ſic agere pœniten-
„ tiam, ſicut ſuperiùs diximus, in primo anno
„ eroget in eleemoſinam ſolidos viginti tres.
„ Pro uno anno in pane, & aqua donet in elee-
„ moſinam ſolidos viginti duos, & in una qua-
„ que hebdomada unum diem jejunet ad no-
„ nam, & alium ad veſperum, & tres Quadra-
„ geſimas: in ſecundo anno viginti ſolidos,
„ pro tertio anno decem & octo ſolidos, qui
„ ſunt ſexaginta quatuor ſolidi. Potentes ho-
„ mines pro culpis criminalibus faciant, ut
„ Zacchæus ait: Domine omnium bonorum
„ meorum dimidium do pauperibus, &, ſi ali-

 „ quid

„ quid injuſti abſtuli, in quadruplum reddam,
„ & de mancipiis dimittant liberos, & capti-
„ vos redimant.

„ Primo anno quidam permiſerunt qua-
„ tuor triduanas interveniente una nocte (*ideſt, ut explicat Auguſtinus prædictus, permiſerunt, ut pœnitens unius anni pœnitentiam redimeret, abſtinendo à cibo duodecim dies, ita tamen ut tertia quaque nocte cibum ſumeret; ſic enim ſubrogabat quatuor triduanas abſtinentias, interveniente ſingulis triduanis una nocte, in qua cibum ſu-*
„ *meret*) Alii ajunt duodecim triduanas, hoc
„ eſt ſemel in uno menſe triduanas. Quidam
„ dixerunt verberibus, quidam vigiliis inſiſten-
„ do quatriduum: alii ſic: alii verò ſic.

„ Pretium autem diei, hoc eſt agapen duo-
„ bus, vel tribus pauperibus: alii totum pſal-
„ terium, ideſt in æſtate: in hieme verò, &
„ in verno, vel autumno quinquaginta pſal-
„ mos: quidam duodecim plagas, vel percuſ-
„ ſiones, vel plus minus &c." *Ideſt, unius diei pœnitentia, quæ erat jejunium in pane, & aqua redimi poteſt agape, nempè convivio parato duobus, vel tribus pauperibus: ſecundùm alios Doctores redimi poteſt canendo totum pſalterium, vel percutiendo feriendoque ſe ipſum aliquo numero tunſionum.*

Quamvis autem hoc ultimum quod dicitur

tur de percuſſionibus, & plagis fortè ſit additum, cum is uſus cædendi ſe ipſum in pœnitentiam ſit Beda poſterior (quod ipſum tamen non eſt ita certum) non ſunt tamen addita reliqua omnia quæ in dicto cap. 14. de redemptionibus pœnitentiæ dicuntur, cùm, ut audiviſti, redemptiones pœnitentiæ longè ante Bedam proponat Jejunator, cui nihil videtur additum, & à Jejunatore hanc temperandæ canonicæ pœnitentiæ rationem, & artem hauſiſſe credatur Theodorus prædictus homo Græcus, quem, ut initio diximus, ſequitur Beda in hoc ſuo Pœnitentiali.

Ut autem nunquam in ipſo leguntur impoſitæ pœnitentiæ eo modo qui fuerat antea, præſertim in Græcis Eccleſiis, uſurpatus, ex. gr. *Biennio flebis extra portam Templi, triennio audies, & egredieris cum Catechumenis, triennio ſubſterneris, biennio cum fidelibus conſiſtes orationis particeps*, ita nunquam ſic leguntur impoſitæ in aliis quos laudavi Pœnitentialibus, ſed, ut audiiſti, per ſolam temporis definitionem ex. gr. pœniteas quinque annos, vel ſeptem, vel uno, vel quadraginta dies. Pœnitentia autem hoc tempore peragenda, ſita aut unicè, aut potiſſimum erat in jejuniis, & abſtinentiis quibuſdam, quæ primo anno ſeveriores erant, minùs ſecundo, & adhuc minùs tertio,

& re-

& reliquis, ut docent iidem libri pœnitentiales apud Burchardum, alioſque hujuſmodi collectores. Ille autem ſquallor, diſtinctio loci, & cæremoniæ manſerunt ſaltem in gravioribus delictis, tempore Quadrageſimæ, & in delictis enormiſſimis, & cum ingenti Urbium, aut regionum perturbatione patratis, etiam aliquot annis, ut modo diſces ex horum temporum conciliis, & Pontificum reſponſis, ex quibus aliqua ſeligam, quæ horum temporum diſciplinam magis illuſtrent.

§. II.

Pœnitentiæ ab aliquibus Conciliis, & Pontificibus impoſitæ.

7 CONcilium Agathenſe celebratum in Gallia circa annum 506. cap. 60. hanc aliquibus, qui in hæreſim Arianam lapſi fuerant, pœnitentiam indicit.

„ Lapſis, ideſt qui in catholica Fide baptizati ſunt, ſi prævaricatione damnabili „ poſt in hæreſim tranſierint, grandem redeundi difficultatem ſanxit antiquitas, quibus nos „ annorum multitudine breviata, pœnitentiam „ biennii, conditione infraſcriptæ obſervationis imponimus, ut præſcripto biennio, tertio)

tio) *nempè*, die, *ut habet alius codex, & colligitur ex contextu, niſi fortè redundet illud verbum* tertio, *& caſu irrepſiſſe dicendum ſit*)
„ ſine relaxatione jejunent, & Eccleſiam ſtu-
„ deant frequentare. In Pœnitentium loco
„ ſtandi, & orandi humilitatem ita noverint
„ obſervandam, ut etiam ipſi, cùm Catechu-
„ meni egredi commonentur, abſcedant. Hoc
„ ſi obſervare voluerint, conſtituto tempore
„ admittendis ad Altarium obſervatio relaxe-
„ tur. Quod ſi ardua hæc, vel dura fortè pu-
„ taverint, ſtatuta præteritorum Canonum im-
„ plere debebunt.

Paulò poſt nempè ann. 511. in Concilio Aurelianenſi 1. ſic Patres de Pœnitentibus Can. 11. ſtatuunt.

„ De his qui ſuſcepta pœnitentia religio-
„ nem ſuæ profeſſionis obliti ad ſæcularia rela-
„ buntur, placuit eos, & à communione ſuſpen-
„ di, & ab omnium catholicorum convivio
„ ſeparari. Quod ſi poſt interdictum cum eis
„ quiſquam præſumpſerit manducare, & ipſe
„ communione privetur.

8 Et in Aurelianenſi 2. an. 533. Can. 10.

„ Nullus novercæ ſuæ; ideſt uxori patris
„ ſui ulla copulatione jungatur. Quod ſi quis
„ præſumpſerit, noverit ſe anathematis ſuppli-
„ cio feriendum.

„Can.

„ Can. 11. Contracta matrimonia, accedente infirmitate, nulla voluntatis contrarietate ſolvantur. Quod ſi qui ex conjugibus fecerint, noverint ſe communione privandos.

„ Can. 19. Placuit, ut nullus Chriſtianus Judæam, neque Judæus Chriſtianam in matrimonio ducat uxorem &c. Qui ſi commoniti à conſortio hoc ſe ſeparare diſtulerint, à communionis gratia ſunt ſine dubio ſubmovendi.

„ Can. 20. Catholici qui ad idolorum cultum non cuſtoditâ ad integrum accepti baptiſmi gratiâ, revertuntur, vel qui cibis, idolorum cultibus immolatis guſtu illicitæ præſumptionis utuntur ab Eccleſiæ cœtibus arceantur. Similiter & hi, qui beſtiarum morſibus extincta, vel quolibet morbo, aut caſu ſuffocata veſcuntur. „ (Quam diſpari culpæ par pœna? Fortè aliquid deeſt.)

9 Et in Aurelianenſi 3. celebrato an. 538.

„ Can. 10. De inceſtis conjunctionibus ita quæ ſunt ſtatuta ſerventur, ut his qui aut modò ad baptiſmum veniunt, aut quibus Patrum ſtatuta ſacerdotali prædicatione in notitiam antea non venerunt, ita pro novitate converſionis, ac fidei ſuæ credidimus conſulendum, ut contracta hucuſque hujuſmodi conjugia „ non

„ non ſolvantur : ſed in futurum quod de in„ ceſtis conjunctionibus in anterioribus cano„ nibus interdictum eſt, obſervetur, ideſt ut „ ne quis ſibi ſub conjugii nomine ſociare præ„ ſumat relictam patris, filiam uxoris, reli„ ctam fratris, ſororem uxoris conſobrinam, „ aut ſobrinam relictam avunculi, vel patrui. „ Quod ſi qui in hoc inceſti adulterio potius „ quam conjugio fuerint ſociati, quandiù ſe „ non ſequeſtraverint à communione Eccleſia„ ſtica repellantur. „ (Nec præter hanc ſequeſtrationem exigitur aliud, ut hi cum Eccleſia reeoncilientur. Neſcio an ſimiliter alii, qui in his Aurelianenſibus Conciliis non alia pœna, quam temporariæ excommunicationis, feriuntur, ceſſante contumaciâ, fuerint ſimiliter ſine diuturnæ, operoſæque pœnitentiæ curatione recipiendi. Extitiſſe tamen tunc Ordinem pœnitentium, aut ſponte, aut in pœnam, & coacti, quæ diximus, onera ſubeuntium, ex his quæ ſubjicio, colligitur.

„ Can. 16. De raptoribus virginum con„ ſecratarum, ſeu in propoſito ſub devotione „ viventium, id ſtatuimus, ut ſi quis conſecra„ tæ, vel devotæ, ideſt religionem profeſſæ „ vim inferre præſumpſerit, à communione „ Eccleſiaſtica uſque ad exitum repellatur, „ viatico tantùm ei in infirmitatis periculo re„ ſerva-

„ ſervato. Quod ſi quæ rapta dicitur cum raptore habitare conſenſerit, & ipſa excommunicatione ſimili feriatur. „ (Hæc tam longa excommunicatio ſapit antiquum rigorem.) „ Quæ forma & de pœnitentibus, ac viduis in propoſito manentibus ſub diſtinctione Eccleſiaſtica conſervetur &c.

„ Can. 24. Ne quis benedictionem pœnitentiæ juvenibus perſonis credere præſumat. Certè conjugatis, niſi ex conſenſu partium, & ætate jam plena, eam dare non audeat.

„ Can. 25. Si quis pœnitentiæ benedictione ſuſcepta ad ſęcularem habitum, militiamque reverti præſumpſerit, viatico conceſſo uſque ad exitum excommunicatione plectatur. „ (Id videtur etiam ſuperare antiquum rigorem.)

10 At in Aurelianenſi 4. Hæc minus rigidè ſtatuuntur ann. 541.

„ Can. 8. De his, qui poſt Baptiſmi Sacramentum ad hæreſis lapſum carne ſuadente deſcendunt, & agnoſcentes reatum ad unitatem Fidei Catholicæ venire deſiderant, in Epiſcoporum poteſtate conſiſtat, cùm eos viderint dignam pœnitentiam agere, quando vel qualiter communioni priſtinæ reformentur.

„ Can. 15. Si quis poſt acceptum Baptiſ-

„ mi

„ mi Sacramentum ad immolata dæmonibus
„ ſumenda tanquam ad vomitum revertitur, ſi
„ commonitus à Sacerdotibus ex hac prævari-
„ catione ſe noluerit revocare à Communione
„ Catholica pro emendatione ſacrilegii ſuſpen-
„ datur. „) Igitur commonitus, & obediens
non plectitur pro commiſſo delicto, & contu-
max ſolùm ſuſpenditur à communione, donec
reatum emendet. Utrumque benigniſſimè, niſi
uterque pœnitentiâ aliqua nobis incompertâ,
quæ eſſet certior emendatio reatus, fuit curan-
dus, ut colligi poteſt ex ſequ. Can.)

„ Can. 27. Quiſquis homicidium volun-
„ tate commiſerit, itaut occidere audeat inno-
„ centem, ſi à principibus, aut à parentibus
„ quacumque re ſe reddiderit abſolutum, pro
„ modo pœnitentiæ diſtringendus in Sacerdo-
„ tis poteſtate conſiſtat. „) Ideſt quamvis ſit
à principibus abſolutus, & ab ejus, qui fuit oc-
ciſus, parentibns pace donatus, pœnitentiæ à
Sacerdote imponendæ ſubjaceat.)

11 In quinto Concilio Aurelianenſi cele-
brato an. 549. ſatis benignè, certè non rigidè
decernitur.

„ Can. 19. Quæcumque etiam puellæ,
„ ſeu propria voluntate manaſterium expetunt,
„ ſeu à parentibus offeruntur, annum in ipſa,
„ qua intraverint veſte permaneant: in his ve-

„ rò

„ ro monaſteriis, ubi non perpetuò tenentur
„ incluſæ, triennium in ea, qua intraverint ve-
„ ſte permaneant: in his verò monaſteriis, ubi
„ non perpetuò tenentur incluſæ, triennium in
„ ea qua intraverint veſte, permaneant, & poſt-
„ modum ſecundùm ſtatuta monaſterii ipſius,
„ in quo elegerint permanere, veſtimenta re-
„ ligionis accipiant. Quæ ſi deinceps ſacra re-
„ linquentes loca, propoſitum ſanctum ſeculi
„ ambitione tranſcenderint: vel illæ quæ in
„ domibus propriis tam puellæ, quàm viduæ
„ commutatis veſtibus convertuntur, cum his,
„ quibus conjugio copulantur, Eccleſiæ com-
„ munione priventur. Sanè, ſi culpam ſeque-
„ ſtratione ſanaverint, ad communionis gra-
„ tiam revocentur.

12 Aurelianenſi Concilio attribuit Ivo part. 9. cap. 70. ſequentem Canonem, quod verò fuerit ex his Conciliis non dicit, nec legitur is Canon in illis, aut in aliis, diſciplinam tamen hujus, aut ſequentis ſeculi oculis exhibet. Canon is eſt.

„ Si quis fornicatus fuerit cum duabus ſo-
„ roribus, vel cum novercâ ſuâ, vel cum ſoro-
„ re ſuâ, vel cum amitâ ſuâ, vel cum materte-
„ râ ſuâ, vel cum filiâ patrui ſui, & avunculi
„ ſui, vel cum filiâ amitæ ſuæ, ſive materteræ
„ ſuæ, vel cum nepte ſuâ, vel cum commatre
„ ſuâ aut filiolâ ſuâ, ſive quam de fonte ſuſce-

„ pit,

„ pit, vel ante Epiſcopum tenuit, & ſi qua mu-
„ lier ſimili modo fornicata fuerit, abſtineat
„ ſe ab ingreſſu domus Dei per annum, & eo-
„ dem anno, niſi Dominicis diebus, & feſtis,
„ ſolummodò pane, & aqua, & ſale utatur,
„ arma non ferat, oſculum nulli præbeat, ſa-
„ crificium niſi pro viatico minimè accipiat.
„ Sex deindè annis ingrediatur quidem do-
„ mum Dei, ſed carnibus, & vino, & ſicera
„ minimè utatur, niſi feſtis diebus. De armis
„ verò, & oſculis, ſive de ſacrificio, ſicut ſu-
„ pra dictum eſt. Poſtea verò duobus annis,
„ quando carne veſcitur, à potu omni, quo
„ inebriari poteſt, ſe contineat, & ſi potum
„ biberit, minimè carne veſcatur abſque præ-
„ cipuis feſtis diebus. De armis verò, vel oſcu-
„ lo, & ſacrificio modum teneat jam dictum.
„ Indè ad obitum ſuum, niſi prædictis feſtis
„ diebus à carne abſtineat, & tres ferias legi-
„ timas in omni hebdomadâ, & tres Quadra-
„ geſimas in anno „ (nempè communem antè
Paſcha, alteram antè feſtivitatem S. Joannis
Baptiſtæ, tertiam antè Nativitatem Domini)
„ legitimè cuſtodiat. De armis verò, ut ſu-
„ pradictum eſt, & nunquam aliquando con-
„ jugio copuletur. Hæc eadem pœnitentia
„ imponenda eſt parricidis, vel fratricidis,
„ necnon ei, qui ſpontè per fraudem, & ava-

„ ritiam hominem innoxium interfecerit.

13 Sub finem ejuſdem ſeculi ſexti, nempè anno 589. ſic Patres Concilii Toletani tertii penitentiæ Canonicæ diſciplinam inſtaurare curant.

„ Cap. 11. Quoniam comperimus per „ quaſdam Hiſpaniarum Eccleſias non ſecun- „ dùm Canonem, ſed fœdiſſimè pro ſuis pec- „ catis homines agere pœnitentiam, ut quo- „ tieſcunque peccare libuerit, toties à Presby- „ tero ſe reconciliari expoſtulent, & ideò „ pro coercenda tam execrabili præſumptio- „ ne id à ſancto Concilio jubetur, ut ſecun- „ dùm formam Canonum antiquorum dentur „ penitentiæ, hoc eſt, ut priùs eum, quem „ ſui penitet facti, à communione ſuſpenſum „ faciat inter reliquos penitentes ad manus „ impoſitionem crebrò recurrere: expleto au- „ tem ſatisfactionis tempore, ſicuti ſacerdota- „ lis contemplatio probaverit, eum commu- „ nioni reſtituat. Hi verò qui ad propria vi- „ tia, vel infra penitentiæ tempus, vel poſt „ reconciliationem relabuntur, ſecundum prio- „ rum Canonum ſeveritatem damnentur. „ Crimina ſiquidem, & maximi abuſus, quos in eas regiones Ariana hereſis invexerat, maximum rigorem depoſcebant.

Seculo ſeptimo, anno videlicet 633. in Con-

Concilio Toletano quarto hęc ſtatuuntur circa pęnitentiam.

14 „ Cap. 54. Hi qui in diſcriminine conſti-
„ tuti pęnitentiam accipiunt nulla manifeſta
„ ſcelera confitentes, ſed tantum peccatores ſe
„ prędicantes, hujuſmodi ſi revaluerint, poſ-
„ ſunt etiam pro morum probitate ad gradus
„ Eccleſiaſticos pervenire. Qui verò ita pę-
„ nitentiam accipiunt, ut aliquod mortale pec-
„ catum perpetraſſe publicè fateantur, ad Cle-
„ rum, vel ad honores Eccleſiaſticos perveni-
„ re nullatenus poterunt, quia ſe confeſſione
„ propria notaverunt. „ (Igitur perſeverabat
diſciplina pœnitentiæ Canonicæ, eaque lex,
aut conſuetudo, ut publicè pęnitens faceret
aliquando publicam, & diſtinctam ſui delicti
confeſſionem.)

15 „ Cap. 55. Quicunque ex ſęcularibus ac-
„ cipientes pęnitentiam totonderunt ſe, & rur-
„ sùs prævaricantes laici effecti ſunt, compre-
„ henſi ab Epiſcopo ſuo ad pęnitentiam, ex
„ qua receſſerunt, revocentur. Quod ſi aliqui
„ per pęnitentiam [ſeu melius ad pęnitentiam]
„ irrevocabiles ſunt, nec admoniti revertun-
„ tur, verè ut apoſtatæ coram Eccleſia anathe-
„ matis ſententia condemnentur. Non aliter
„ & hi qui detonſi à parentibus fuerint, aut
„ ſpontè ſua, amiſſis parentibus, ſe ipſos reli-

„ gioni devoverunt, & poſtea habitum ſæcu-
„ larem ſumpſerunt, & iidem à Sacerdote
„ comprehenſi ad cultum religionis, actâ priùs
„ pœnitentiâ, revocentur. Quod ſi reverti non
„ poſſunt, verè ut apoſtatæ anathematis ſen-
„ tentiæ ſubjiciantur. Quæ forma ſervabitur
„ etiam in viduis, virginibuſque ſacris, ac pœ-
„ nitentibus fœminis, quæ ſanctimonialem ha-
„ bitum induerunt, & poſtea aut veſtem mu-
„ taverunt, aut ad nuptias tranſierunt. „ (Quibus confirmatur quod dixi in Cler. Rom. pœnitentiam Canonicam non fuiſſe rem penitùs coactam ſaltem in iis, qui non ita enormiter, nec cum inſigni Eccleſiæ ſcandalo peccarant, ſed ſpontè ſuſceptam, eiuſque legibus non omnes, qui canonica delicta commiſerant, arctatos fuiſſe, ſed eos, qui ei ſe ſubdidiſſent, ut legibus Ordinum regularium ii ſoli adſtringuntur, qui eis nomen dederunt; & rursùs ex Pœnitentibus, ut dixi ſub finem cap. 5. conflatum fuiſſe velut Ordinem religioſum ſimilibus legibus, quarum aliquas ibi numeravi, gubernatum.)

16 Poſt annos quinque Concilium Toletanum 6. ſimilia decernit.

„ Cap. 7. Quoniam tanta exiſtit perver-
„ ſitas hominum, ut hi quos ſub religioſo ha-
„ bitu pœnitentiæ profeſſio pro peccatorum
„ venia ad manum Sacerdotis deducit, vel ad-

„ duxit,

„ duxit, iterum rediviva malitia ad vitæ pri-
„ ſtinæ ſordes revocet, hujus rei cauſa ſancta
„ Synodus decernit, ut ſi qui ingenuorum
„ utriuſque ſexus ſub nomine pęnitentiæ in ha-
„ bitu religioſo ſunt converſati, poſt hæc au-
„ tem comam nutrientes, vel veſtimenta ſæ-
„ cularia ſumentes, ad id quod reliquerant,
„ redierunt, aut redierint, ab Epiſcopo civi-
„ tatis, in cujus territorio ſunt converſi, com-
„ prehenſi, rursùs legibus pœnitentiæ in mo-
„ naſteriis ſubdantur inviti. Quod ſi facere
„ propter aliquem poteſtatis vigorem diffici-
„ lè fuerit, tunc ſicut priſcorum canonum ſta-
„ tuerunt decreta, quouſque ad dimiſſum Or-
„ dinem revertantur, excommunicati habean-
„ tur &c.

Cap. 8. Renovant Patres, & explicant S. Leonis decretum, ut *is qui in ætate adoleſcentiæ poſitus dum mortis formidat caſum, pervenerit ad pœnitentiæ remedium, ſi conjugatus, & fortè fuerit incontinens, ne poſtea adulterii incurrat lapſum, redeat ad priſtinum conjugium, quouſque poſſit adipiſci temporis maturitate continentiæ ſtatum*. Quamvis enim ad pœnitentiam non deberent admitti adoleſcentes, & conjugati præſertim minùs maturi, in mortis tamen periculo admittebantur.

In Concilio Cabilonenſi circa annum 650.

celebrato is Canon legitur numero octavus.

„ De Pœnitentia verò peccatorum, quæ
„ eſt medela animæ, utilem hominibus eſſe cen-
„ ſemus: & ut pœnitentibus à Sacerdotibus,
„ data confeſſione, indicatur pœnitentia. „
(Fortè aliqui confiteri ſua peccata recuſabant, aut nullam imponi ſibi à Sacerdote pœnitentiam volebant.)

17 Sub finem ſęculi ſeptimi, Concilium Toletanum duodecimum ſubjicit legibus pœnitentiæ etiam eos, qui in morte, ipſis nihil ſentientibus, pœnitentibus aggregantur, non tamen approbat quod Sacerdotes in eo articulo *paſſim donum pœnitentiæ non petentibus audent prorogare, ideſt non petentes recipiunt ad pœnitentiam.*

18 Ex ſæculo octavo ſeligam duo, unum pertinens ad exemplum, alterum ad doctrinam, utrumque ad pœnitentiam. Quod pertinet ad exemplum eſt factum S. Corbiniani Friſingenſis Epiſcopi, de quo poſtquam Româ, quò ſe contulerat, rediit ad ſuam Eccleſiam, hæc refert Card. Baronius ad ann. 724. num. ult.

„ Audi quæ inter ipſum, & Grimoaldum
„ ducem filium Theodonis Ducis Bavariæ in-
„ terceſſerunt, cum in ſuam Eccleſiam rever-
„ ſus eſt. Cùm autem (inquit Aribo) ad pala-
„ tium prædicti Principis pervenit, per quen-
„ dam dilectum ejus cubicularium eidem Prin-

„ cipi

„ cipi demandavit, nequaquam ſe faciem illius „ videre velle, antequam laſcivam conjugem „ à ſe expelleret, quam ſibi tunc copulaverat „ poſt obitum fratris ſui Theobaldi viduam. „ Sed cum Epiſcopi dictis conſentire nollent, „ ipſe in ſua perſeveravit ſententia, eique egre- „ gii prædicatoris Pauli ea verba demandavit, „ inter cætera: „ (Quia neque adulteri, neque fornicatores regnum Dei poſſidebunt &c.) „ Sic ergo quadraginta diebus ab eorum ſe ſub- „ traxit obtutibus, eoſque per ſuos jugiter ad- „ monere non deſtitit, ut tam execrabile con- „ jugium relinquerent; congruiſque tempori- „ bus jam quidem, ſi converterentur ad pœni- „ tentiam, blandis ſermonibus Dei regnum pro- „ miſit: porrò, ſi permanerent in malitia ter- „ rorem magni judicii Dei, æternumquè eis „ citò venturum minabatur ſupplicium. Tan- „ dem, omnipotentis Dei conſolante clemen- „ tia, perduxit eos ad promiſſionem ſeparatio- „ nis ſuæ. Tunc vir ſanctus in Domini Chriſti „ Jeſu confiſus gratia, eos fecit ad ſuam venire „ præſentiam: qui venientes, humi ſe proſtra- „ verunt ambo, & extenſis ad pedes ejus bra- „ chiis, ſe graviter peccaſſe, ſe nimiùm reos „ eſſe, confeſſi ſunt, & ita pura confeſſione, „ ad pœnitentiæ confugerunt remedia. Quo- „ rum capitibus vir Dei manus imponens, ſigno

„ æternæ ſalutis eos munire curavit, ex humo
„ eos erigens, tum graviter lapſis pœnitentiam
„ deſignavit, viam eis ſalutis oſtendit, reme-
„ diorum ſolatia eleemoſynarum largitate, je-
„ juniorum, & orationum frequentiâ adipi-
„ ſcenda monſtravit, & ut amplius peccare ca-
„ verent, ſolicitè præmonuit, ſicque domum
„ ingreſſi communiter ſumpſerunt cibum &c.
„ Hactenus Aribo. Verùm cùm non longiùs à
„ ſe fœminam illam, ut par erat, Grimoaldus
„ ablegaſſet, reverſus ad vomitum, ulciſcente
„ Numine, in ſe ſuoſque Dei vindictam miſer
„ expertus eſt.

Pertinent ad doctrinam Reſponſa Zacchariæ Pontificis ad Pipinum atque Epiſcopos &c. Qui quaſdam ei quæſtiones propoſuerant, ex quibus reſponſis hæc ad noſtrum argumentum pertinent.

„ Septimum Capitulum de laico pellente
„ ſuam conjugen. Ex canone ſanctorum Apo-
„ ſtolorum cap. 48. Si quis laicus uxorem pro-
„ priam pellens, alteram vel ab alio dimiſſam
„ duxerit, communione privetur.

„ Duodecimum caput de his qui uxores
„ aut viros dimittunt, ut ſic maneant ex ſupra-
„ ſcripto Africano cap. 49. ita continetur. Pla-
„ cuit ut ſecundum Evangelicam & Apoſtoli-
„ cam diſciplinam, neque dimiſſus ab uxore,
„ neque

„ neque dimiſſa a marito alteri conjungantur : „ ſed ita maneant, aut ſibi invicem reconcilientur. Quod ſi contempſerint, ad pœnitentiam „ redigantur.

„ Decimum quartum caput: Quod Presby- „ teri, aut Diaconi, ſi in aliquo crimine prolapſi „ fuerint, non poſſint per manus impoſitionem „ pœnitentiæ remedium conſequi „ (hic recitato decreto Leonis Papæ cum eodem concludit, *unde hujuſmodi lapſis ad promerendam miſericordiam Dei ſecreta eſt expetenda ſeceſſio &c.*

„ Vigeſimum caput de Virginibus velatis „ ſi deviaverint quid de illis agendum ſit (reſpondet ex libro decretorum Innocentii Papæ, eas non eſſe admittendas ad agendam pœnitentiam, niſi is cui ſe adjunxerant de mundo receſſerit.

Sic demum ad reliquas queſtiones *de non velatis Virginibus, ſi deviaverint. De his quæ duobus fratribus nupſerunt. De his qui homicidium ſponte perpetraverunt. De his qui adulteras habent uxores. De Monachis & Virginibus propoſitum non ſervantibus*, reſpondet ex editis jam decretis, nimirum primæ ex cap. 11. Concilii Neocæſarienſis. Secundæ ex cap. 21. Ancyrani Concilii. Tertiæ ex cap. 19. ejuſdem Concilii. Quartæ ex cap. 6. decretorum Siricii Papæ, omnibus demum ſecundum diſciplinam antiquo-

tiquorum Canonum; quam etiam continent excerptum Gregorii Secundi & excerptiones Egberti ad idem octavum ſęculum pertinentes, ſuntque Canonum ſeu ſententiarum ad diſciplinam pertinentium collectiones.

Sub initium ſæculi noni, Stephanus Papa V. hanc cuidam Aſtulpho qui ſuam uxorem „ occiderat, pœnitentiam imponit. „ Placeat tibi conſilium noſtrum, & facias hoc, quod „ melius, & levius videri tibi poteſt. Miſerere „ animæ tuæ, ut non ſis tuus tibi met ipſi homicida. Relinque quapropter, te rogamus, „ hoc malum ſæculum, quod te traxit ad tam „ immaniſſimum peccati facinus. Ingredere „ Monaſterium, humiliare ſub manu Abbatis, „ & multorum fratrum precibus adjutus, obſerva cuncta ſimplici animo, quæ tibi fuerint „ imperata, ſi fortè ignoſcat infinita Dei bonitas peccatis tuis, & refrigeret animam tuam, „ priuſquam crucieris perpetuis flammis: hoc „ levius, & melius tibi eſſe certiſſimè ſcias. „ Sin autem publicam pœnitentiam permanens „ in domo tua, vel in hoc Mundo vis agere, „ (quod pejus tibi, & durius, & gravius eſſe „ non dubites) ità, ut agere debes, exhortamur. Omnibus diebus quibus pœnitere debes, vinum, & ſiceram non bibas, carnem „ nullo unquam tempore comedas, præter-

„ quam

„ quam in Paſcha, & in die Natalis Domini;
„ in pane, & aqua, & ſale pœnitentiam age.
„ In jejuniis, & vigiliis, & orationibus, & elee-
„ moſynis omni tempore perſevera, armis nun-
„ quam cingere, nec in quolibet loco litigare
„ præſumas, uxorem nunquam ducere, concu-
„ binam non habere, nec adulterium commit-
„ tere audeas, in balneo nunquam laveris, in
„ conviviis lætantium nunquam te miſceas, in
„ Eccleſia ſegregatus ab aliis Chriſtianis poſt
„ oſtium, & poſtes humiliter te repone: in-
„ gredientium, & egredientium ſuppliciter
„ orationibus commenda te, communione Cor-
„ poris & Sanguinis Domini cunctis diebus vi-
„ tæ tuæ indignum te exiſtimes, in ultimo ta-
„ men exitus vitæ tuæ die, ſi merueris pro
„ viatico, ſi ſit qui tribuat, tantummodo ve-
„ nialiter, ut accipias, tibi concedimus &c. Si
„ autem ſanctæ Eccleſiæ tam ſalubrem admo-
„ nitionem deſpexeris, ipſe tibi ſis judex, &
„ in laqueo Diaboli, quo irretitus teneris, per-
„ manebis &c.

19 Circa medium ſæculum nonum Nicolaus Papa, ſcribens Frontario Archiep. Burdegalenſi, hanc cuidam ſacrilego graſſatori, rerumque Eccleſiaſticarum invaſori, ejuſque ſociis
„ pœnitentiam imponi mandat. „De viro nefan-
„ do Burgando nomine, qui rabie inſanâ com-

„ motus

„ motus, diabolicis ſe irretire laqueis non du-
„ bitavit &c. Si ipſe, vel qui cum eo in tam im-
„ pio, & iniquo ſcelere fuerunt, ad pœniten-
„ tiam quandoque gratiâ tracti divinâ venire
„ voluerint, quo eos pœnitentiæ vinculo con-
„ ſtringatis, noſtræ inſtitutionis cenſuram ex-
„ poſcere curaſtis. De quibus (ſi tamen ita eſt)
„ jubemus, cum ad pęnitentiam reverti acce-
„ leraverint, uno anno extra Eccleſiam Dei
„ conſiſtere, cujus Eccleſiaſtica vaſa, extra ri-
„ tum fidei Chriſtianæ diripiendo, auferre non
„ dubitaverint; ſecundo verò anno, ante fores
„ Eccleſiæ ſine communione maneant; tertio
„ verò anno, Eccleſiam Dei ingrediantur, &
„ inter Audientes (ideſt eos qui Eccleſiam adi-
bant ſolum, ut audirent ſacram lectionem &
concionem, non verò, ut communicarent, &
ideo in loco ad audiendum deſtinato procul ab
„ Altaris cancellis ſtabant) adſtent ſine obla-
„ tione, non manducantes carnem, neque bi-
„ bentes vinum præter Natalis, & Reſurrectio-
„ nis Dominicæ dies. Quarto præterea anno
„ (ſi his prioribus tribus, eorum fructuoſus fue-
„ rit pœnitentiæ labor) communioni fidelium
„ reſtituantur, totaque mentis intentione ſpon-
„ dentes talia ſe ulteriùs nunquam facturos,
„ Corpus, & Sanguinem Domini ſuſcipere me-
„ reantur, & uſque ad ſeptimum annum, tri-

„ bus

„ bus in hebdomada diebus, ſine eſu carnium, „ & vini potatione maneant pœnitentes.

20 Idem Pontifex de pœnitentia cuidã matricidæ impoſitâ monet Rutholdum Epiſcopum, „ ad quem ita ſcribit. „ Latorem præſentium „ matricidam eſſe cognovimus, cui præcipimus, ut ſub pœnitentiæ jugo permaneat, itaut per annum integrum, Eccleſiam non ingrediatur, ſed ante fores Baſilicæ, orans & „ deprecans Deum perſeveret, qualiter tanto „ eripiatur piaculo. Completo verò anni circulo, introeundi in Eccleſiam licentiam hábeat, tamen inter audientes ſtet, ſed nondum „ communicet; completis autem trium annorum curriculis, ſacræ communionis ei gratia „ concedatur; oblationes verò non offerat, niſi „ priùs aliorum ſeptem annorum curricula expleantur. His autem omnibus annis atque „ temporibus, carnem non manducet, neque „ vinum bibere præſumat, exceptis feſtis diebus, atque Dominicis, & à Paſcha uſque ad „ Pentecoſten: & quocunque ire voluerit, nullo „ vehiculo deducatur, ſed pedibus proficiſcatur, arma non ſumat, niſi contra Paganos: „ jejunet autem tribus diebus per hebdomadam „ uſque ad veſperam. A propria quidem, ac „ legitima conjuge non ſeparetur, ne in fornicationis voraginem corruat, quod ne fiat op-„ tamus.

„ tamus. Si autem ante annorum trium curſum, finis vitæ illius appropinquaverit, Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti particeps fiat: ſin autem, ut ſupra ſtatuimus, efficiatur. Tamen ſi illius converſionem, & lacrymarum fontem, in omnibus videritis, floridis actionibus, & optimis operibus pullulare, humanius circa eum veſtra ſollicitudo pervigil appareat, mitiſque omnibus demonſtretur.

21 Inclinante eodē ſæculo nono Concilium Vormacienſe celebratum fuit, inque eo nonnulla ſtatuta fuerunt circa pœnitentiam. Nam „ Can. 7. „ Pœnitentibus ſecundum differentiam peccatorum Sacerdotis arbitrio pœnitentiæ decernantur. Debet itaque Sacerdos in pœnitentia danda ſingulorum cauſas ſingulatim conſiderare, originem quoque modumque culparum, & affectus, gemituſque delinquentium diligenter examinare, manifeſtèque cognoſcere, temporum etiam, & perſonarum, locorum quoque & ætatum qualitates inſpicere, ut etiam pro conſideratione locorum, ætatum, vel temporum, ſeu pro qualitate delictorum, atque gemituum uniuſcujuſque delinquentis, à ſacris regulis oculos non reflectat.

Can. 26. „ Qui Sacerdotem morti volun-

„ tate

„ tate tradiderit, carnem non comedat, nec „ vinum bibere pręſumat, & jejunet uſque ad „ veſperam, exceptis feſtis diebus, atque Do- „ minicis; arma non ſumat & ubicunque ire „ maluerit, nullo vehiculo deducatur, ſed pro- „ priis pedibus proficiſcatur. Eccleſiam per „ quinquennii tempus non ingrediatur, ſed „ cum ſacrarum orationum officia, ant Miſſa- „ rum ſolemnia celebrantur, antè fores Baſili- „ cæ perſeveret orans, ac deprecans Domi- „ num, ut tanto crimine abluatur. Poſt exple- „ tum verò quinquennium ingrediatur Eccle- „ ſiam, nondum verò communicet, ſed inter „ audientes tantummodo ſtet, vel dum facul- „ tas conceditur, ſedeat. Et cum decimus anni „ curſus fuerit finitus, communicandi ei licen- „ tia concedatur, & equitandi tribuatur me- „ dela, maneatque in reliquis obſervationibus, „ & tres dies per hebdomadam jejunet, ut per- „ fectius ad culmen purificationis pervenire „ mereatur.

Can. 44. „ Si cujus uxor adulterium ſece- „ rit, aut vir in alienam uxorem irruerit, ſep- „ tem annis pœnitentiam agat.

22 Eodem ſæculo labente Triburienſe Con. cilium ſtatuit cap. 4. ut refert Burchardus lib. 6. cap. 1. & ſeqq. & lib. 19. cap. 5. hanc pœniten- tiam eſſe imponendam pro homicidio præſertim ſponte commiſſo. „ In

„ In primis, ut licentiam non habeat Ec-
„ cleſiam intrandi illos primos quadraginta
„ dies; nudis pedibus incedat, & nullo vehi-
„ culo utatur: in laneis veſtibus ſit abſque fe-
„ moralibus, arma non ferat, & nihil ſumat
„ in his 40. diebus, niſi tantùm panem, & ſa-
„ lem, & puram bibat aquam, & nullam com-
„ munionem cum cæteris Chriſtianis, neque
„ cum alio pœnitente habeat in cibo, & potu,
„ antequam quadraginta dies adimpleantur. Et
„ ex cibo quem ſumit, nullus alius manducet.
„ Conſiderata verò perſonæ qualitate, vel in-
„ firmitate, de pomis, vel oleribus, ſeu legu-
„ minibus, prout viſum fuerit, aliquid pro mi-
„ ſericordia indulgeatur, maximè ſi quis coa-
„ ctus, & non ſponte homicidium fecèrit, &
„ ei omnimodis ex canonica auctoritate inter-
„ dicatur, ut in his diebus cum nulla fœmina
„ miſceatur, nec ad propriam uxorem accedat,
„ nec cum aliquo homine dormiat: juxta Ec-
„ cleſiam ſit, ante cujus januas peccata ſua de-
„ fleat diebus, & noctibus & non de loco ad
„ locum pergat, ſed in uno loco his quadragin-
„ ta diebus ſit, & ſi fortè habuerit inſidiatores
„ vitæ ſuæ, interim differatur ei pœnitentia,
„ donec ab Epiſcopo pax ei ab inimicis conce-
„ datur; & ſi in infirmitate detentus fuerit, ita-
„ ut non poſſit dignè pœnitere, differatur pe-

„ nitentia, donec ſanitati reſtituatur. Si autem „ longa ægritudine detentus fuerit, ad ſententiam Epiſcopi pertinebit, quomodo reum, & „ infirmum ſanare diſponat. Completis 40. diebus aqua lotus, veſtimenta, & calceamenta „ accipiat, & capillum incidat.

„ Primum annum poſt illos 40. dies totum à vino, medone, ſagimine, & à caſeo, „ & ab omni pingui piſce abſtinere debes, niſi „ in illis feſtis diebus, qui in illo Epiſcopio à „ cuncto populo celebrantur, & ſi in magno „ itinere in regio hoſte, vel in regali curte, „ vel in aliqua infirmitate detentus ſis, tunc „ liceat tibi uno denario, vel pretio unius denarii, aut tres pauperes paſcendo, tertiam feriam, quintam feriam, & ſabbatum redimere, ita tamen, ut una re de illis tribus ſupradictis utaris, ideſt aut vinum bibas, aut „ medonem, aut mellitam cerviſiam. Poſtquam „ domum veneris, aut ſanitati fueris reſtitutus, „ nullam licentiam habeas redimendi. Completo anni circulo in Eccleſiam introducaris, „ & pacis oſculum tibi concedatur.

„ In ſecundo anno, & tertio ſimiliter jejunes, niſi quod tertiam feriam, quintam feriam, & ſabbatum poteſtatem habeas redimendi prænominato pretio, ubicunque es: „ cætera omnia diligenter obſerves, ut in primo.

„ Per ſingulos quatuor annos, qui rema-
„ nent, tres Quadrageſimas per legitimas ferias
„ debes jejunare, & in quatuor ſupradictis an-
„ nis, tertia feria, quinta feria, & ſabbato
„ accipies quidquid velis. Secundam autem fe-
„ riam, & quartam redimere poteris pretio jam
„ ſupradicto, ſextam feriam ſemper obſerves
„ in pane, & aqua. Et his expletis ſacram
„ communionem accipias, ea ratione ut non ſis
„ ſine pœnitentia, quandiù vivas: ſed in omni
„ vita tua omnes ſextas ferias in pane, & aqua
„ pœniteas, & ſi redimere volueris, poteſta-
„ tem habeas redimendi uno denario, vel pre-
„ tio unius denarii, vel paſcas tres pauperes.
„ Iſta ſecundum miſericordiam concedimus ti-
„ bi, non ſecundum Canonum cenſuram, quia
„ Canones ſic præcipiunt. Si quis per indu-
„ ſtriam, & per cupiditatem homicidium fece-
„ rit, ſæculum relinquat, & ingrediatur Mo-
„ naſterium, ut ibi jugiter Deo ſerviat.

23 Paulò poſt decimum ſæculum, nempe anno 1022. celebratum fuit Concilium Saleguſtadienſe à pleriſque Germaniæ Epiſcopis, inter quos fuit Burchardus Epiſc. Vormacienſis, qui Concilium hoc ſuis decretorum libris inſeruit. In eo autem quatuor ſunt de pœnitentia capita. Sunt autem hæc, nempe decimum ſeptimum, in quo *ſub anathemate præceptum eſt, ut nul-*

nullus Presbyterorum cuiquam pœnitentia carinam dividere præſumat, ſi infirmitas non intervenerit. Carina autem erat jejunium dierum 40. in pane, & aqua, à quo inchoabatur pœnitentia canonica, nec dividi debebat hoc ſpatium in plures partes, itaut poſt aliquot dies, e. g. decem, omitteretur unâ vel alterâ die jejunium. Caput 18. eſt *de illis qui pœnitentiam à Sacerdotibus accipere nolunt*, de quibus ita ſtatuitur, fortaſſe nimis rigidè. *Quia multi tanta mentis ſuæ falluntur ſtultitia, ut in aliquo capitali crimine inculpati; pœnitentiam à Sacerdotibus ſuis accipere nolint in hoc maximè confiſi, ut Romam euntibus Apoſtolicus omnia ſibi dimittat peccata, ſancto viſum eſt Concilio, ut talis indulgentia illis non proſit, ſed priùs juxta modum delicti pœnitentiam ſibi datam à ſuis Sacerdotibus adimpleant, & tunc Romam ire ſi velint, ab Epiſcopo proprio licentiam, & literas ad Apoſtolicum ex iiſdem rebus deferendas accipiat*. Valde autem graves fuiſſe has pœnitentias crediderim, quando ex Germania ire Romam malebant Pęnitentes, quàm eas adimplere. Cap. 19. decernitur, *ut omnis pœnitens dum carinam ſuam* jejunat, *de loco in locum non migret, ſed ibi permaneat, ubi ſuam acceperit pœnitentiam, ut proprius Sacerdos ſibi præbeat teſtimonium. Si autem ibi propter hoſtiles inſidias jejunare non poterit, ſuus*

Sacerdos eum confratrum ſuorum alicui, ubi pacificè poſſit jejunare, diligentiſſimè commendet. Capite tandem 20. ſtatuitur, *ut nullus Presbyterorum quenquam pœnitentem, niſi juſſu Epiſcopi in Eccleſiam introducere præſumat, cui pro aliquo delicto illam ingredi non licet.*

24 Sæculo undecimo, in duos Presbytericidas admodũ ſeverè animadvertit Alexander II. Utramque ejus ſententiam refert Juo parte 10. decreti. Primam quidem capite 14. eamque Pontifex ſignificat Amalgerio Civitanenſi Epiſcopo per has literas.

„ Fratri huic, quem perpetrati homicidii
„ reatu, ad judicium canonicæ pœnitentiæ ſu-
„ ſcipiendum, ad Apoſtolicam Sedem miſiſti,
„ noveris, nos hujus ordinis pœnitentiam,
„ miſericordiæ reſpectu, injunxiſſe. Nam quia
„ Presbyter Presbyterum occidit, quadrupli-
„ citer, viginti octo videlicet annis eum pœ-
„ nitere oportet, quatuordecim annos ſibi mi-
„ ſericorditer indiximus irrecuperabiliter, deji-
„ cientes eum Presbyteratu, & omni admini-
„ ſtratione Altaris. Quos quidem quatuorde-
„ cim annos, hoc ordine obſervabit. Tribus
„ prioribus annis, extra Eccleſiam, niſi ad ex-
„ trema mortis, abſque communione, & men-
„ ſæ participatione, & pace ſit: ſed à cœna
„ Domini ſolùmmodo reconcilietur uſque ad

„ octa-

„ octavas Pentecoſtes. Hac præſenti Quadra-
„ geſima quotidie jejunet in pane, & aqua die-
„ bus tribus hebdomadæ uſque in Paſcha. Ab
„ octavis Pentecoſtes uſque in feſtum S. Mi-
„ chaelis duobus, deinde tribus. Poſt tres an-
„ nos reddita ſibi communione Eccleſiæ, &
„ menſæ inter idiotas ſit (nempe inter laicos)
„ uſque ad expletos ſeptem annos, eodem mo-
„ do totum Pœnitentiæ tempus ſervans. Et
„ quia convenit, eum eſſe ſub regimine Abba-
„ tis, mandamus tibi, ut mittas eum in aliquo
„ Monaſterio, ut ibi condignè pœnitens ſalve-
„ tur. Et ſi tibi, vel Abbati videtur ſibi remit-
„ tere, ſi hanc obſervaſſe pœnitentiam videris,
„ poſt tres annos liceat.

25 Alteram ejuſdem Pontificis ſententiam refert Juo cap. 16. ubi idem Pontifex ita ſcribit Clero Vulturnenſi.

„ Pœnitens præſentium portitor, ad nos
„ veniens retulit, ſe inſtinctu Diaboli quendam
„ Presbyterum armatum ſuper ſe irruentem,
„ ictumque ferentem occidiſſe, unde quia in
„ Canonibus habetur pro interfectione armati
„ Presbyteri ſimplicem pœnitentiam eſſe dan-
„ dam, injunximus pœnitentiam decem anno-
„ rum: itaut hinc uſque ad Paſcha jejunet tri-
„ bus diebus per ſeptimanam in pane & aqua,
„ & non utatur calceamentis, neque lino. Ab

„ Octava Pentecoſtes uſque ad feſtivitatem ſan-
„ cti Martini jejunet duobus diebus per ſepti-
„ manam; & à feſtivitate S. Martini uſque ad
„ Natalem Domini, aut faciat carcerem, jeju-
„ nans quotidie in pane & aqua, aut eat exul,
„ & jejunet tribus diebus in pane & aqua, &
„ hæc faciat uſque ad annos quinque. Ab in-
„ greſſu autem Eccleſiæ, & communione ſe-
„ ptem annos abſtineat.

26 Sæculo duodecimo Alexander III. ex aliquibus hac ſuper re ſententiis celebratur. Quatuor referam. Primam continet epiſtola quam ſcribit ad Epiſcopum Tornacenſem.

„ Veniens ad nos M. mulier, lacrymabili
„ nobis confeſſione monſtravit, quod cùm de
„ quodam filium genuiſſet, & iſte ſibi ſæpe
„ turgido vultu improperaſſet, quod filius ejus
„ non eſſet, ipſa iracundiæ calore ducta, eun-
„ dem filium interfecit. Mandamus, quatenus
„ eam labores inducere, ut ad aliquod Mona-
„ ſterium tranſeat, in quo, peccata ſua, per-
„ petuâ pœnitentiâ deploret. Si autem repu-
„ gnante carnis ſuæ fragilitate, ad hoc induci
„ noluerit; ei licentiam in Domino nubendi
„ tribuas, quia tutiùs nobis videtur ut in Do-
„ mino nubat uni ſoli, quàm inhoneſtè multos
„ admittat.

27 Alteram à ſe impoſitam idem ſcribit ad Pa-

Patriarcham Grand. hac epiſtola.

„ Ex tuarum tenore literarum accepimus, „ quod V. Presbyter cum quodam infami ad „ privatum locum acceſſit, non ea intentione, „ ut invocaret Dęmonium, ſed ut inſpectione „ aſtrolabii, furtum cujuſdam Eccleſiæ poſſit „ recuperari. Verùm, licet hoc ex bono zelo „ & ſimplicitate ſe feciſſe proponat, id tamen „ graviſſimum fuit, & non modicam inde pec„ cati maculam contraxit. Mandamus, quate„ nus, talem ei pro expiatione illius delicti pœ„ nitentiam imponas, quod per annum & am„ plius, ſi tibi viſum fuerit, eum ab Altaris mi„ niſterio præcipias abſtinere, & ex tunc libe„ rum ſit ei exercere officium Sacerdotis.

28 „ De tertiâ facit certiorem Abbatem S.Ge„ novefæ. Ex literarum tuarum tenore perpen„ dimus, quod quidam ægritudine longâ con„ fectus, inſano ſacrilegarum mulierum cre„ dens conſilio, ut ſanaretur, per iterationem „ fecit injuriam Baptiſmatis ſacramento &c. „ Quia ergo nos tua duxit prudentia conſulen„ dos, qualiter puniri debeat Acolythus, quem „ minor ætas, & intentio fraternæ ſalutis ex„ cuſare videtur; diſcretioni tuæ præſentibus „ literis reſpondemus, quod ad ſuperiores Or„ dines promoveri (ſi publicum eſt quod pro„ ponitur) non valebit; niſi ad Religionem

„ tranſire voluerit, ut favore Religionis ipſius,
„ circa eum valeat diſpenſari. Si verò occul-
„ tum fuerit, promoveri poterit, & exceſſum
„ ſuum dignis pœnitentiæ fructibus expiare.

29 Quartam ſententiam tulit in cæde S. Thomæ Epiſcopi Cantuarienſis, contra Henricum II. Angliæ regem. Quamvis enim eam Rex patrari minimè mandaſſet, diù tamen S. Præſulem, iniquis ſuis legibus reluctantem, inſectatus fuerat, eoque facto, verbiſque amariſſimis, quibus perpetuò cum ſuis Aulicis de S. Epiſcopo, tanquam de perturbatore ſui regni querebatur, aut cauſa fuerat, aut culpabilis patratæ in ſui gratiam cædis occaſio. Quare dignus viſus eſt Pontifici hac pœnitentia, quam illi per ſuos Legatos impoſuit.

„ Primò, ut aleret ducentos milites per
„ annum integrum, ſumptibus ſuis, videlicet
„ unicuique militi dans trecentos aureos in ter-
„ râ Hieroſolymitanâ contra Paganos, ſecun-
„ dùm diſpoſitionem Templariorum. Secun-
„ dò, ut prava ſtatuta de Clarendona (ubi vul-
„ gata ſunt) & omnes malas conſuetudines,
„ quæ in diebus ſuis in Eccleſias Dei inductæ
„ erant, penitùs dimitteret: Si quę autem fuiſ-
„ ſent malę ante tempora ſua, illas juxta man-
„ datum Domini Papę, & conſilio religioſo-
„ rum virorum temperaret. Tertiò, ut Eccle-

„ ſię

„ ſię Cantuarienſi, omnem integritatem ſuam
„ in terris, & in aliis rebus reſtitueret, ſicut
„ fuit anno antequam Archiepiſcopus iram Re-
„ gis incurreret, & ut omnibus, quibus offen-
„ ſus erat propter Archiepiſcopum, pacem &
„ amorem redderet, & poſſeſſionum ſuarum
„ plenitudinem. Quartò, ut ſi neceſſe fuerit,
„ & Dominus Papa ei mandaverit, iret in Hi-
„ ſpaniam ad liberandam terram illàm à Paga-
„ nis. Pręter hęc iidem Legati injunxerunt Re-
„ gi ſecretiùs jejunia, & eleemoſynas, & alia,
„ quę ad communem audientiam non pervene-
„ runt. „ Ita Card. Baron. ad ann. 1172. ex cod. Vaticano.

Illis autem quatuor nefariis militibus, qui cædem patraverant, & Romam ſe contulere, pro pœnitentia, & reconciliatione, injunctum ab eodem Pontifice fuit, ut ad ſancta Paleſtinæ loca ſe conferrent, ibique jugi pœnitentiæ vacarent.

30 Sub initium ſæculi tertii decimi Innocentius III. enormia quædam delicta ſeverè vindicavit, ut conſtat ex ejus literis, quas hìc proferam. Epiſt. 79. lib. 5. ita ſcribit ad Orchad. Arch. „ Ex literis tuæ fraternitatis acce-
„ pimus, quod Lumberd. laicus lator præſen-
„ tium, cum comite ſuo Cataneſiam in expe-
„ ditione perrexit, ubi Caſtęllo ab exercitu

„ comi-

„ comitis expugnato, & interfectis plenè om-
„ nibus, qui erant in ipſo, captus eſt Epiſcopus
„ Cataneſiæ, cujus ut linguam abſcinderet, à
„ quibuſdam, ut dicit, de exercitu comitis eſt
„ coactus. Quia verò gravis eſt, & grandis
„ exceſſus, nos ei ſecundùm formam Eccleſiæ
„ abſoluto, talem, & ad ſatisfactionem ſuam,
„ & ad terrorem aliorum injunximus pœniten-
„ tiam, ut cum feſtinatione revertens in pa-
„ triam, diſcalceatus & nudus præter brachas,
„ & laneum veſtimentum curtum, & ſine ma-
„ nicis, linguâ ſubtili funiculo religatâ, & pau-
„ liſper extractâ, ut promineat extra labia
„ ſummitatibus ejuſdem funiculi nexis in col-
„ lo, cum virgis in manu, quindecim diebus
„ continuis, per terram ſuam, unde ipſe eſt
„ oriundus, & terram illam, unde erat Epi-
„ ſcopus mutilatus, ac circumpoſitam regio-
„ nem, videntibus univerſis, manifeſtè proce-
„ dat, venienſque ad ingreſſum Eccleſiæ, ſed
„ nequaquam ingrediens, proſtratum in terram
„ diſciplinari ſe faciat cum virgis, quas in ma-
„ nu geſtabit, ſicque in ſilentio, & jejunio uſque
„ poſt veſperam diem ducat; & tunc ad ſuſten-
„ tationem naturæ, pane tantùm reficiatur, &
„ aquâ. Illis verò quindecim diebus peractis
„ præparet ſe, ut infra menſem incipiat Hiero-
„ ſolymitanam provinciam proficiſci, ubi per
„ trien-

„ triennium deſudet in obſequio Crucifixi, ar-
„ ma de cætero contra Chriſtianos minimè aſ-
„ ſumpturus; & per undecim annos, omnibus
„ ſextis feriis in pane, & aqua jejunet, niſi for-
„ te per indulgentiam alicujus diſcreti Ponti-
„ ficis, vel propter debilitatem corporis, vel
„ propter favorem æſtatis hæc abſtinentia
„ temperetur. Tu ergo redeuntem hoc modo
„ recipias, & injunctam pœnitentiam eum
„ facias obſervare. Datum apud Monaſterium
„ Sublac.

31 Uxoricidæ autem, qui pariter cum lacrymis Sedis Apoſtolicæ miſericordiam imploraрat, pœnitentiam, quæ his litteris continetur, impoſuit. Eſt autem in Epiſt. 80. ejuſdem lib. 5.

„ Ad Apoſtolicæ Sedis clementiam, lator
„ præſentium Robertus accedens, peccatum
„ ſuum grande quidem & grave lacrymabili-
„ ter eſt confeſſus, qui cùm captus à Saracenis
„ cum uxore detineretur & filiâ, mandatum
„ exiit à principe terræ, quem ipſi nominant
„ Admiratum, ut quia famis invaleſcebat ine-
„ dia, quicunque captivus prolem haberet,
„ illam occideret, cujus occaſione mandati,
„ miſer ipſe, cum eum famis anguſtia perur-
„ geret, occidit filiam, & comedit. Cumque
„ adhuc exiſſet edictum, propriam interfecit
„ uxorem, ſed de carnibus ejus guſtare non po-
„ tuit,

„ tuit, cum ad veſcendum coctæ ſibi fuiſſent „ oblatæ. Nos igitur tanti criminis horrore „ turbati, talem ei pœnitentiam duximus in- „ jungendam, ut nunquam de cætero carnibus „ pro quacunque neceſſitate veſcatur, ſed ſin- „ gulis ſextis feriis in pane, & aqua jejunet; „ ſimiliter in ſecunda, & quarta feria Quadra- „ geſimæ, quæ antecedit Natalem, & ejus, „ quæ Paſcha præcedit. Cęteris autem diebus „ utriuſque Quadrageſimæ devotè jejunans, „ uno tantùm ſit pulmento contentus, quod & „ in Sanctorum vigiliis diligenter obſervet. „ Diſcalceatus incedat cum tunica lanea, bre- „ viſſimo ſcapulari, pœnitentialem baculum „ ad menſuram unius cubiti geſtans in manu, „ nihil amplius à quocunque recipiens, niſi „ quantum ad eſum ſibi ſufficiat uno die, nec „ unquam per duas noctes in eodem loco mo- „ retur, niſi fortè articulus neceſſitatis ingrue- „ rit, vel propter infirmitatem, vel hoſtilita- „ tem, aut etiam intemperiem tranſire non „ poſſit: ſicque ſanctorum limina viſitet: per „ triennium ad Eccleſiam proſtratus non intret, „ niſi prius cum virga, vel corrigia ſuſceperit „ diſciplinam: ſine ſpe conjugii perpetuò per- „ ſeveret, & publicis ludis nunquam interſit: „ orationem Dominicam centum vicibus dicat „ in die, ac toties genuflectat. Peracto verò

„ trien-

„ triennio, cum litteris iſtis ad Sedem Apoſto-
„ licam revertatur, miſericordiam petiturus:
„ & quod ab ea ſibi fuerit injunctum, ſatagat
„ obſervare. Vos ergo fratres, filio miſero
„ miſericordiam impendentes, in neceſſitatibus
„ aperiatis ei viſcera charitatis. Datum apud
„ Monaſter. Sublac. &c. anno 1202.

32 Anno ſequenti quibuſdam, qui in Herbipolenſem Epiſcopum nefaria multa commiſerant, dexteram ejus & caput præcidentes, capitiſque truncati coronam per ludibrium amputantes, quique poſtea facti pœnitentiâ permoti ad Sedem Apoſtolicam confugerant, hanc idem Pontifex Innocentius pęnitentiam imponi mandavit, quam ipſe deſcribit Epiſt. 51. lib. 6.

„ Bodo Henr. Fuſon. milites cum He-
„ roldo, & Conrado ſervientibus ſuis ad no-
„ ſtram præſentiam venientes, ac confitentes,
„ ſe prædictum Epiſcopum occidiſſe, cùm de
„ ſuis exceſſibus lacrymabiliter pœniterent, &
„ humiliter poſtularent pœnitentiam ſibi pro
„ tanta ſceleris immanitate à nobis injungi, quia
„ pęnitentibus non eſt miſericordiæ janua prę-
„ cludenda, de Fratrum noſtrorum conſilio,
„ dilecto filio N. tit. S. Martini Presbytero Car-
„ dinali commiſimus audiendos, qui confeſſio-
„ ne illorum audita, poſtquam fecit eos nudos
„ in braccis, tortas habentes in collo coram

„ nobis

„ nobis diebus aliquot in frequentia populo-
„ rum aſtare, de mandato noſtro talem pœnam
„ illis injunxit, ut nunquam de cætero, niſi
„ contra Sarracenos, vel ad defenſionem vitæ
„ ſuæ armis utantur, varium griſium, ermeli-
„ num, & pannos coloratos non portent, ad
„ publica ſpectacula non accedant, & conjuga-
„ ti non contrahant poſt mortem uxorum,
„ eantque quàm citò poterunt in Hieroſolymi-
„ tanam provinciam, per quatuor annos ibi
„ contra Sarracenos Domino ſervituri. Bodo
„ verò, qui major exiſtit tres, vel duos mili-
„ tes, vel unum ſaltem in ſuis expenſis ſecum
„ adducat, & donec ipſi quatuor execrabiles
„ homicidæ Hieroſolymitanum iter arripiant,
„ ſicut publicè pœnitentes, diſcalceati, & laneis
„ induti veſtimentis incedant.

„ Secundam quartam, & ſextam feriam,
„ quatuor tempora, vigiliaſque Sanctorum in
„ pane, & aqua jejunent. Tres in anno Qua-
„ drageſimas, videlicet antè Nativitatem, &
„ Reſurrectionem Domini, & poſt Penteco-
„ ſten faciant. Carnibus non tantùm in eiſdem
„ tribus ſolemnitatibus non veſcantur, eaque
„ die, qua prædictus fuit Epiſcopus interfe-
„ ctus, ſed carnes non comedant in æternum.
„ Orationem Dominicam centies decantent in-
„ ter diem, & noctem, & genuflexiones fa-

„ ciant

„ ciant quinquaginta; Corpus, & ſanguinem
„ Domini, niſi in ultimo mortis articulo reci-
„ pere non præſumant: cum fuerint ultra ma-
„ te, quartam, & ſextam feriam Sanctorum
„ vigilias, & Quatuor Tempora (ſicut dictum
„ eſt) in cibo Quadrageſimali jejunent. Car-
„ nes comedant die Dominica, & quinta feria
„ tantùm, orationem Dominicam dicant, &
„ genuflexiones ſemper faciant prætaxatas.
„ Quandocumque aliquam Alemanniæ civita-
„ tem poterunt intrare ſecurè, ad majorem
„ Eccleſiam nudi procedant tantum in braccis,
„ cum torta in collo, & virgis in manu, & à
„ Canonicis ejuſdem Eccleſiæ recipant diſci-
„ plinam. Si verò quæſitum fuerit, cur hoc
„ faciant, dicant, ſe hoc facere pro ſceleris
„ perpetratione jam dicti, & quando fortè in
„ Civitate Herbipoli poterint eſſe ſecuri, in
„ Reſurrectione, Pentecoſte, Nativitate Do-
„ mini, ac in ſolemnitate majoris Eccleſiæ,
„ videlicet S. Pauliniani, exeant Civitatem, &
„ tamen nudi cum braccis tantùm, tortam in
„ collo, & virgas deferentes, in manu in Miſſæ
„ celebratione majoris ad Eccleſiam Cathe-
„ dralem accedant, & ſe ante Altare coram
„ Epiſcopo, & Canonicis proſternentes in ter-
„ ram petant humiliter, & recipiant diſcipli-
„ nam ab eis. Cùm autem de partibus redie-

„ rint

„ rint tranſmarinis ad Apoſtolicam Sedem ac-
„ cedant recepturi conſilium, & mandatum.
„ Datum Lateran. &c.

Neque his pęnis contentus juſtiſſimus ſcelerum vindex, alias poſtea addidit in Ep. ſcripta ad Salisburg. Archiepiſcopum, & Suffraganeos (ea eſt 13. lib. 6.) nempè ut *tam prædicti homicidæ, quàm hæredes eorum, univerſis feudis & beneficiis Herpipol. Eccleſiæ quam ſpecialiter offenderunt, Eccleſiarum etiam cæterarum, cùm in ea læſerint Eccleſiam generalem, careant in perpetuum, nec illa ullo unquam tempore aſſequantur, niſi forſan aliquando de Sedis Apoſtolicæ indulgentiâ ſecutura poſteritas miſericordiam mereatur. Addit etiam, ut ſi beneficia, vel feuda quælibet Eccleſiarum, ubi fuerint, obtinuerint, univerſa Diœceſis in qua id attentare præſumpſerint ſubjaceat interdicto &c.*

Sub eodem Pontifice Arnaldus Abbas Ciſterciensis, & Sedis Apoſtolicæ legatus in partibus Toloſanis, eâ ſeveritate lapſos in hæreſim, & reconciliari volentes caſtigabat, quam præſefert formula reconciliationis, qua tunc utebantur ii, quos ipſe ad id muneris delegabat. Is enim erat ejus tenor, ut refert Bzovius in ſuis Annalibus ad an. 1215. num. 13. & ex eo Bail in additione ad ſummam Conciliorum, in Concilio apud Montilium.

„ Uni-

„ Univerſis Chriſti Fidelibus , ad quos
„ præſentes litteræ pervenerint , ſalutem in
„ Chriſto . Auctoritate Domini Abbatis Ci-
„ ſtercienſis Apoſtolicæ Sedis Legati , qui hoc
„ nobis injunxit officium , reconciliavimus
„ præſentem latorem Pontium Rogerium ab
„ Hæreticorum ſecta Deo largiente conver-
„ ſum , mandantes in virtute prçſtiti Sacra-
„ menti , ut tribus Dominicis feſtivis diebus ,
„ ducatur à Sacerdote nudus in femoralibus ab
„ ingreſſu villæ uſque ad Eccleſiam verberan-
„ do , injungimus etiam ei , ut à carnibus, ovis,
„ & caſeo , ſeu omnibus , quæ ſementinam
„ trahunt originem , abſtineat omni tempore ,
„ excepta die Paſchæ , & die Pentecoſtes , &
„ die Natalis Domini , in quibus adjurationem
„ erroris priſtini præcipimus , ut eis veſcatur .
„ Tres Quadrageſimas in anno faciat à piſcibus
„ abſtinens . Tribus diebus in hebdomada ſem-
„ per à piſcibus , & ab oleo , & vino abſtineat,
„ & jejunet , niſi corporalis infirmitas , vel la-
„ bores çſtatis exegerint diſpenſationem . Re-
„ ligioſis veſtibus induatur tum in forma , tùm
„ etiam in colore , quibus in directo utriuſque
„ papillæ ſingulæ cruces parvæ ſint aſſutæ .
„ Quotidiè , ſi opportunum fuerit , Miſſam au-
„ diat , & diebus feſtivis ad Veſperas in Eccle-
„ ſiam pergat . Alias horas tam diurnas, quàm

„ nocturnas ubicunque fuerit, Deò reddat, „ Scilicet ſepties in die decem Pater Noſter dicat: media nocte vigeſies. Caſtitatem obſervet, & mane apud Cererim villam, chartam iſtam Capellano ſuo per ſingulos menſes „ oſtendat. Capellano etiam præcipimus, ut „ de vita ejus curam diligenter habeat. Hæc „ omnia diligenter obſervet, donec aliàs ſuper „ his Dominus Legatus ſuam nobis exprimat „ voluntatem. Quod ſi ea obſervare contempſerit, tanquam perjurum, & hęreticum, & „ excommunicatum ipſum haberi pręcipimus, „ & à Fidelium conſortio ſequeſtrari.

33 Addit idem Bail hujus Legati ſeveritati, qua converſio Hęreticorum impediebatur, fuiſſe ab eodem Innocentio modum impoſitum.

Huic Pontifici ſucceſſit Honorius III. qui eodem diſciplinæ amore incenſus, quibuſdam Religioſi Ordinis Laicis, qui Priore, & ejuſdem domus aliquibus Sacerdotibus in vincula conjectis, alium ſibi Priorem pro arbitrio præfecerant, hanc Pœnitentiam impoſuit, ut refert Raynaldus an. 1219. num. 57. „ Singulis diebus „ Dominicis uſque ad annum in Capitulo verberentur, & omni ſexta feria vivant in pane, „ & aqua, niſi Prior clementiùs agendum duxerit cum iiſdem. A perceptione quoque „ Dominici Corporis & ſanguinis per annum

„ abſti-

„ abſtineant, niſi fortè videretur mortis articulus imminere. Præterea omnes illi, qui fuerunt principales tantæ iniquitatis auctores, ab adminiſtratione, ſeu diſpoſitione temporalium rerum, toto vitæ ſuæ tempore arceantur, niſi Prior inſpectâ utilitate domus, aliter proceſſu temporis duxerit providendum.

34 Longè ſeveriorem, ut par erat, pœnitentiam, refert idem Honorius ſcribens Epiſcopis Vivarienſi, & Tricaſtrienſi, impoſuiſſe ſe Anicienſis Epiſcopi interfectoribus, & præſertim cuidam Bertrando eorum capiti. Poſtquam enim multis atrocitatem criminis expoſuit, ita ſubdit.

„ Tanti ergo facinoris atrocitate permoti, eundem Bertrandum, & ejus in tanta impietate conſortes, qui ad noſtram pręſentiam acceſſerunt, longo tempore ſuſtinuimus ante fores Palatii noſtri excubare diſcalceatos & nudos, aures, & oculos ab eorum ejulatibus, & lacrymis avertendo, ut & ipſi per difficultatem hujuſmodi, enormitatem flagitii ſui pleniùs intelligerent. „ Porrò ipſis aures noſtras clamoribus indefeſſis ſine ceſſatione pulſantibus, tandem attendentes, non ſanis, ſed malè habentibus opus eſſe medico ſecundùm Evangelicam veritatem, ne illos, ulte-

„ riori difficultate adhibitâ, deſperationis ba„ rathrum abſorberet, eorundem ſe ad ſatisfa„ ctionem omnimodam offerentium recipi fe„ cimus juramenta, & eiſdem beneficio abſo„ lutionis impenſo, talem injungi pœnitentiam, „ ſub debito prȩſtiti juramenti, quod videli„ cet omnes, qui convenerunt ad inſidias con„ tra ipſum Epiſcopum, nec tamen prȩſcive„ runt, eum debere interimi, nec ejus interi„ tum procurarunt, ſine dilatione reſignabunt „ Anicienſi Eccleſiæ, ſi quis eorum in feudum „ tenet aliquid ab eadem: nec illud unquam de „ cȩtero repetent, nec ea de cauſa inquietabunt „ ipſam Eccleſiam, nec indè movebunt ei ali„ quam quȩſtionem. Ad hȩc in Civitate Po„ dienſi, ſi ſecurè poterunt, unam facient Qua„ drageſimam, oſtiatim induti ſaccis, vel cili„ ciis, ac detonſis capitibus mendicantes, in „ pane, & aqua bis in hebdomada jejunando: „ Quod ſi fortè ſecurè non poterunt eſſe in Ci„ vitate prȩdicta, ſecundum prȩnotatum mo„ dum unam faciant Quadrageſimam in aliqua „ de civitatibus convicinis; qua peracta in præ„ fata Civitate Podienſi, vel alia, ultra mare „ tranſibunt, in Terræ ſanctæ ſervitio per bien„ nium moraturi, ac omnes ſextas ferias jeju„ naturi in pane, & aqua toto tempore vitæ „ ſuæ, niſi eos evidens infirmitas excuſaverit,

„ vel

„ vel ſolemnitas Nativitatis Dominicæ occur-
„ rerit eo die.

„ Prædictus verò Bertrandus, cujus eſt de-
„ teſtabilior culpa, reſignato ſecundùm quod
„ dictum eſt feudo, ſi quod ab Eccleſia ipſa te-
„ net, ac depoſito cingulo militari, contra
„ Chriſtianum nunquam de cætero arma feret;
„ tres Quadrageſimas in Civitate Podii, ſi ſe-
„ curus poterit ibi eſſe, alioquin in aliis vici-
„ nioribus faciet indutus ſacco, aſperſus cine-
„ re, tonſo capite, diſcalceatus, & oſtiatim
„ mendicans pane ſolo, & aqua contentus tri-
„ bus diebus qualibet ſeptimana. Inſuper per
„ tres Quadrageſimas ſupradictas, omni die
„ Dominica, toti Clero, & populo Civitatis,
„ in qua ipſas faciet Quadrageſimas, nudum ſe
„ offeret cum virgis, quas in manu deferet, ad
„ verberandum. His peractis, ultra mare tran-
„ ſibit, per ſeptennium moraturus ibidem in
„ ſervitio Terræ Sanctæ; ac in ſuo reditu, Apo-
„ ſtolico ſe conſpectui præſentabit cum literis
„ Patriarchæ, ac aliarum authenticarum per-
„ ſonarum, quæ in partibus illis tempore illo
„ erunt, continentibus, qualiter ibi per dictum
„ ſeptennium fuerit converſatus. Toto tem-
„ pore vitæ ſuæ, duas in anno faciet Quadra-
„ geſimas, ac ſextas ferias, & ſolemnes vigi-
„ lias in pane, & aqua, niſi certa corporis in-

„ firmitas præpediat, vel occurrat Dominicæ
„ Nativitatis ſolemnitas, jejunabit. A com-
„ munione quoque Corporis & ſanguinis Do-
„ mini abſtinebit ſeptennio, niſi fuerit in mor-
„ tis articulo conſtitutus. Si verò poſt Qua-
„ drageſimas prædicto modo peractas, ad Car-
„ thuſienſem, vel Ciſtercienſem Ordinem tran-
„ ſire legitimè poterit, & tranſierit, erit à ſu-
„ pradicta pœnitentia excuſatus, ideòque fra-
„ ternitati veſtræ, per Apoſtolica ſcripta man-
„ damus, quatenùs eos ad agendam pœniten-
„ tiam ſupraſcriptam, monitione præmiſſa per
„ cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione re-
„ mota, ſi neceſſe fuerit, compellatis.

Similem pœnitentiam idem Pontifex imponi voluit iis, qui injuriis gravioribus Cardinales affeciſſent, & poſtea abſolvi humiliter petiiſſent, conſtitutione ſuper hoc edita anno 1225. quam recitat prælaudatus Raynaldus.

Eiſdem veſtigiis inſtitit Gregorius IX. in cauſa Joannis à Serga Regis Luſitaniæ fratris, qui odio in electum Ulyſſiponenſem Epiſcopum incitatus, illius affines patrio ſolo expulerat, bona Eccleſiaſtica occupaverat, profanarat altaria, Clericorum ſanguinem fuderat, alios verberibus, vulneribus alios, aliiſque graviſſimis injuriis affecerat. Hunc ergo, pœnitentiâ tantorum ſcelerum permotum, Romamque profectum,

fectum, petentemque cum lacrymis, ut anathematis vinculis, ſuiſque delictis abſolveretur, recipi Pontifex mandavit, & abſolvi, eâ tamen lege, ut damna omnia illata reſarciret, capitulum Ulyſſiponenſe, & fratres conſanguineos, familiares, & alios amicos prædicti Epiſcopi in perſonis, & rebus nec offenderet, nec ab aliis offendi permitteret, & præter alia multa de jure præſtanda, hanc pœnitentiam ſubiret, quam per has ſuas literas ab eodem Annalium ſcriptore recitatas ad an. 1239. num. 31. Epiſcopo Oxonienſi notam fecit.

„ Per totam Quadrageſimam, cùm ad terram ſuam primò devenerit, barbam non radat, caput non abluat, indumenta de ſerico, vel ſcarlato, aut aurifrigiata non portet, nec intret Eccleſiam, ſed antè fores ipſius, uſque ad diem Cœnæ Domini, Divina cum poterit, audiens, tunc juxta formam Eccleſiæ, per manus Epiſcopi, vel Sacerdotis ſe faciet in Eccleſiam introduci: eo die decem pauperibus pedes abluat, & eis de ſimili panno indumenta concedat. Per totam eandem Quadrageſimam, ad menſam ſuam quinque pauperes omni die reficiat, & omnibus ſextis feriis ejuſdem in terra ſolus comedet uno pulmento, & uno ſervitore contentus. Quod ſi de pluribus cibariis comedere voluerit, to-

„ tidem pauperes eo die reficere procurabit. „ In Paraſceve per omnes Eccleſias Civitatis, „ vel Caſtri, in quo fuerit, diſcalceatus am- „ bulet, & die ſabbati ſubſequentis caput ab- „ lui, & barbam faciat ſibi radi. Per ſeptem „ annos ſextas ferias, quatuor tempora, lita- „ nias omnes B. Virginis, & omnium Apoſto- „ rum, & aliorum ſanctorum vigilias ab Ec- „ cleſia conſtitutas jejunet. Omni tempore „ vitæ ſuæ, in die ſabbati carnes non comedat, „ niſi fortè Natale Domini in eo die interve- „ niat, vel ipſum gravis neceſſitas ad id cogat. „ Apud Sanctaren. ubi Clericos præcepit in- „ terfici, à Monaſterio Fratrum Prædicato- „ rum per Hoſpitale Sancti Joannis ad Eccle- „ ſiam Sanctæ Mariæ de Alchacevæ ejuſdem „ Caſtri in tunica, & ſupertunicali cum corri- „ gia ad collum pedibus nudis incedens, in „ oſtio hujuſmodi Eccleſiarum ab aliquo Sa- „ cerdote, dum cantabitur Miſerere mei Deus, „ infra octo dies, poſtquam ad illud Caſtrum „ perveniet, ſe faciat verberari. Viginti Chri- „ ſtianos à Sarracenorũ captivitate intra trien- „ nium redimat, & ad Sarracenos contra Chri- „ ſtianos nunquam ſe transferens, eis conſi- „ lium, vel auxilium non impendat; quin po- „ tius per tres annos in manu forti pro modo „ ſuarum virium, Sarracenos in Hiſpania, &

„ ſpecialiter in Frontaria Regni Portugalliæ „ expugnare procuret. Datum Later. 15. Kal. „ Jan. an. 13.

Ità is Pontifex in Principem virum, ipſiuſque Regis Fratrem animadvertit.

36 Ejuſdem Pontificis eſt ea celebris, & ſanctiſſima conſtitutio in maledicos. „ Statuimus, „ ut ſi quis contra Deum, vel aliquem Sanctorum, & maximè Beatam Virginem, linguam „ in blaſphemiam publicè relaxare præſumpſerit, per Epiſcopum ſuum pœnæ ſubdatur inferiùs annotatæ, ut videlicet ſeptem diebus „ Dominicis præ foribus Eccleſiæ in manifeſto, „ dum aguntur Miſſarum ſolemnia, blaſphemus „ exiſtens ultimo illorum die Dominico pallium, & calceamenta non habeat, ligatus „ corrigia circa collum, ſeptemque præcedentibus ſextis feriis jejunet in pane, & aqua, „ Eccleſiam nullatenùs ingreſſurus; quolibet „ quoque prædictorum dierum, tres ſi poterit, „ alioquin duos reficiat pauperes, ſive unum, „ &, ſi nec ad hoc ejus ſuppetunt facultates, „ id in pœnam commutetur aliam, cui etiam, „ ſi renuerit recipere, ac peragere pœnitentiam ſupradictam, Eccleſiæ interdicatur ingreſſus, & in obitu Eccleſiaſtica careat ſepultura. Per temporalem præterea poteſtatem, coactione, ſi neceſſe fuerit, Epiſcopi

„ Dio-

„ Dioceſani adhibita contra eum, ſi dives fue-
„ rit quadraginta ſolidorum, alioqui triginta,
„ ſivè viginti, & ſi ad id non ſufficiat, quinque
„ ſolidorum uſualis monetæ poenâ mulctetur,
„ nullam in hoc miſericordiam habiturus. Quod
„ etiam inter alia Communitatum ſtatuta po-
„ natur.

36 Anno ejuſdem ſæculi 73. Gregoriùs X. tam ſeverè habuit Guidonem è Monteforti, qui Henricum Eduardi Angliæ Regis patruelem inter aras occiderat, ut is ei placando (quod vix obtinuit) illud effecerit, quod narrat idem Pontifex ad Eduardum ita ſcribens (ut refert Raynal. ad ann. 1273.)

Princeps inclyte, novit excellentia regia
„ quam diù, quam durè Guidonis de Monte-
„ forti malitiam non omittendo tantum juſti-
„ tiæ ſemitas, ſed exquiſitos etiam ſequendo
„ juris tramites, fuerimus perſecuti &c. & qui-
„ dem memoratus Guido magnæ poenitentiæ
„ ſigna prætendens, poſtquam Florentiam ve-
„ nimus, & uxoris ſuæ præſentiâ, & multipli-
„ catis aliis nuntiis inſtiit, multâque ac longa
„ inſtantiâ ſupplicavit, ut ad noſtram permitte-
„ retur venire prçſentiam, paratus ſimpliciter,
„ ut dicebat, noſtris obedire mandatis. Sed
„ multiplici ejus inſtantiæ multiplicem oppo-
„ ſuit non ſolùm qualitas offenſæ ſaltem in ma-

„ gni

„ gni temporis dilatione repulſam, verum etiam „ cujuſdam noſtræ deliberationis examen, quo „ inveſtigandum fore providimus, an contriti, „ & humiliati cordis indicia, quæ tanta, tamque aſſidua ejuſdem Guidonis inſtantia veriſimiliter arguebat, veritatis munimine fulcirentur, an eſſent velamine ſimulationis obducta. Cumque poſtmodum nos contingeret civitatem Florentinam exire, idem Guido quaſi ad duo milliaria extra civitatem eandem, necnon & quidam alii, quos ad hoc ſibi comites habuit, depoſitis omnibus calceamentis, & veſtibus prȩter camiſias, & femoralia cum chordis ad colla, proſtratique in terram, ſe nobis in via exhibuere cum lacrymis, & ſubſiſtentibus quampluribus qui erant in noſtro tunc temporis comitatu, memoratus Guido cum ejulatu non modico profuſis lacrymis inſtantis ſupplicationis verbis effuſis, ſe alt & bas, ſine tenore, modo, vel conditione aliquâ, noſtris mandatis exponens, petebat humiliter, & ſupplicabat inſtanter, ſaltem ubicunque nobis placeret, in carcerem ſe detrudi, & in abſolutionis beneficio miſericordiæ ſibi januam aperiri &c. Sed nec tunc hujuſmodi ſupplicationem ipſius duximus admittendam, nec reſponſum ipſe à nobis habuit aliquod, immo redarguimus po-

„ tiùs

„ tiùs alios aſſiſtentes eidem, quod in talibus
„ nec loci, nec temporis competentiam obſer-
„ varant. Verum urgente tandem conſcientia,
„ ne deeſſe juſtitiæ videremur, & contra ipſius
„ debitum Eccleſiæ, claudere gremium redeun-
„ ti, de fratrum noſtrorum conſilio in hoc con-
„ deſcendimus inſtantiæ ſupplicantis. Manda-
„ vimus quidem Guidoni præfato in terra Ec-
„ cleſiæ Romanæ in aliqua arce tuta locum ca-
„ ceris aſſignari &c. Quid autem circa hoc
„ poſtmodum actum ſit, nondum ad nos rela-
„ tio certa perduxit. Hæc tamen ideò tibi ſic
„ ſeriosè intimanda decrevimus, ne noſtrorum
„ proceſſuum puritatem tertiæ linguæ malitia
„ in tuæ celſitudinis auribus fermentaret. Da-
„ tum Lugduni 3. Kal. Dec. ann. 11.

Sic autem ſubdit Hiſtoricus. *Paruit Pontificis imperiis Guido Montfortius, atque in arcem è Leveo in Mediolanenſi agro, carceris tedia, ſqualloremque ſubiturus ſe contulit, ſprevitque generosè corporis ſervitutem, ut animam è vinculis anathematis vindicaret &c. Mancipato verò ità carceri Guidone SS. Pontifex clementia temperaturus ſeveritatem, Patriarchæ Aquilejenſi ſequenti anno, illius Fidelium communioni reſtituendi partes ea lege demandavit, ut inflictæ tamen aliæ pœnæ ob patratum in Henrico inter aras cæſo flagitium valerent.*

Ver-

Vertente hoc ſęculo 13. Guillelmum Marchionem Montisferrati, cujus milites non juſſi quidem, ſed nec prohibiti Terdonenſem Epiſcopum in expugnatione illius Urbis occiderant, Romanæ Sedi ſiſtere ſe juſſit Honorius Papa IV. eumque impeditum accedere hac pœnitentiâ, quam in eiſdem Annalibus reperies, expiare delictum voluit, ſi eo abſolvi flagitaret, nempe *quod præſtito de ſtando Pontificis & Eccleſiæ mandatis corporali juramento, & idonea de his cautione recepta, à loco in quo dictus Epiſcopus captus extitit, uſque ad Eccleſiam Terdonenſem, nudis pedibus, & à portis Vercellenſis, & Iporienſis, & Albanenſis civitatum, uſque ad Cathedrales Eccleſias civitatum ipſarum, dictus Marchio, pedes, nullum veſtimentum ſuper tunicam ferens, & capite diſcooperto publicè ac patenter accederet*, & rurſus ea tolleraret omnia, aut faceret, quæ ei Coſanenſis Epiſcopus, à quo erat abſolvendus, imponeret: ad hunc autem Epiſcopum eas literas miſit, in qui-
„ bus,pręmonitis quibuſdam, ſic jubet. „ Ipſum
„ Marchionem, & poſteritatem ſuam, aucto-
„ ritate noſtra privare curetis omni jure patro-
„ natus, vel alio, & feudo, ac locationibus
„ emphyteoticis & aliis quæ ab ipſa Terdonenſi
„ tenent Eccleſia; ita quod, ad eandem Ter-
„ donenſem Eccleſiam liberè devoluantur, ac
„ red-

„ reddatis eadem auctoritate poſteritatē ipſam
„ uſque ad quartam generationem inhabilem
„ ad obtinendum beneficium Eccleſiaſticum in
„ dicta Eccleſia Terdonenſi &c. Poſt hęc peti-
„ tum abſolutionis beneficium juxta formam
„ Eccleſiæ hac vice auctoritate noſtra impen-
„ datis eidem, ſibique imponatis diſtrictiùs, &
„ mandetis, ut infra unius anni ſpatium, Altare
„ conſtrui faciat in dicta Eccleſia Terdonenſi,
„ & dotari de bonis ſuis, ex quorum proven-
„ tibus, duo Presbyteri, quilibet eorum vide-
„ licet viginti quinque libras Genuenſes annis
„ ſingulis percipere valeat, ut ibi continuè cir-
„ ca ſervitium cultus divini morentur. Paſſa-
„ gium quoque ultramarinum, vel peregrina-
„ tionis iter ad Eccleſiam S. Jacobi Compoſtel-
„ lani, prout, & quando nos duxerimus diſpo-
„ nendum. Et pręter pręditta, etiam ſibi in-
„ jungatis jejunia, orationes, & alia pia opera
„ prout qualitatem exceſſus animæ ſuæ ſaluti
„ videritis expedire. Volumus inſuper, quod
„ Marchione ipſo, ut pręmittitur, abſoluto,
„ ex parte noſtra diſtrictè præcipiatis eidem,
„ quod infra annum, poſtquam excuſationes
„ ipſæ ceſſaverint, itaut tutè poſſit Apoſtolico
„ ſe conſpectui pręſentare, ad Sedem accedat
„ eandem, mandata, quæ ſibi fieri contigerint
„ auditurus, & efficaciter impleturus &c. Per
„ hæc

„ hęc autem quæ dicto Marchioni non requi-
„ renti judicium, ſed humiliter imploranti mi-
„ ſericordiam pœnitentiæ ſalutaris imponi man-
„ damus, ſecularibus Principibus, vel perſo-
„ nis non adimimus facultatem utendi, prout
„ juſtitia ſuadebit, contra ipſum legibus, quas
„ adverſus ſacrilegos Catholici Principes edi-
„ derunt. Datum *Romæ* apud S. Sabinam
„ 13. Kal. Jan. ann. 1. „ Hanc pœnitentiam imponi voluit Honorius Principi viro, opibus, & armis inſtructo, quamvis audita cęde Epiſcopi à ſuis militibus commiſſâ, magnum animi dolorem oſtendiſſet, & cęſi Epiſcopi corpus honorifici funeris apparatu extuliſſet, ut idem Scriptor ibidem refert.

Poſſem alia ſęculorum quæ ſecuta fuere exempla proferre, niſi nobis viciniora jam eſſent hęc tempora, & ad pręſentem potius, quam antiquam Eccleſiam, quam exhibere tibi conſtitui, pertinerent.

Cler. Non putabam, tandiù retentum antiquum in plectendis delinquentibus, & curandis Pœnitentibus rigorem.

Auct. Putas ergo, ea ſęcula in quibus præbuere Patres ea quæ narravi ſeveritatis exempla, fuiſſe ſæcula rigoris?

Cler. Id ego non putabam antea; at modò ex iis, quæ narraſti, ita fuiſſe colligo.

Auct.

37 *Auct.* Malè colligis. Siquidē ea ipſa tempora, quibus Alexander, Innocentius, Honorius, Gregorius tam ſeveras ſententias tulerunt, fuere tempora benignitatis, indulgentiæ, & redemptionum, quibus canonicæ pœnitentiæ facillimè relaxabantur. Id hìc innuere volui, ut jam incipias intelligere, duas eſſe cauſas communis erroris circa veteris Eccleſiæ ſeveritatem, & Fidelium qui tunc vixere, mores. Prima ea eſt, quod plerique de moribus judicant ex legibus, & quia leges, ſeu Canones ſunt ſeveriſſimi, ſanctiſſimique, colligunt, mores quoque fuiſſe ſeveriſſimè ſanctos. Altera eſt, quod ex paucis, quæ narrantur, exemplis, metiuntur communem diſciplinam, & praxim & quia ea ſeveriſſima ſunt, aut eſſe videntur, cenſent ſeveriſſimam quoque fuiſſe praxim communem, quæ duplex collectio quàm ſit rectæ rationi contraria, nemo non videt. Sed hæc ſuo loco fuſiùs perſequar.

Cler. Nunc, quoniam mentio incidit redemptionis, & indulgentiæ in relaxandis pœnitentiis, velim ex te ſcire, quid hæc redemptio fuerit.

CA-

CAPUT IX.

De Canonicæ Pœnitentiæ Redemptione, ac de Indulgentiis.

1 AUct. Redimere pœnitentiam injunctam is dicebatur, qui pœnitentiæ impoſitæ aliam minorem pœnitentiam ſubrogare permittebatur, e. g. recitare loco jejunii aliquot pſalmos, vel aliquid in eleemoſynam erogare.

Dixi *permittebatur*: non enim id à Pœnitente fiebat ex pleno ſuo arbitrio, ſed ex permiſſione ejus qui pœnitentiam injungebat, nempè Epiſcopi, vel Presbyteri Pœnitentiarii. Et quidem Presbyter id ſolum facere poterat, ut Pœnitens ex juſta cauſa, loco unius Pœnitentiæ, aliam minorem perageret, at Epiſcopus, & præſertim ſummus Pontifex id præſtare poterat, & aliquando prębtabat, ut pœnitens eam minorem pœnitentiam ſubſtituens tantum divinæ juſtitiæ ſatisfaceret pro debito penæ, quantum ſatisfeciſſet, ſi majorem, quæ fuerat injuncta, peregiſſet, quod minimè contingebat ex eo quod Epiſcopus, vel Pontifex ei minori pœnitentiæ pretium, & pondus augeret, ſed ex eo quod pœnitenti eam minorem pœnitentiam, illudque opus minoris pretii exhibenti ſatisfactiones Sanctorum, & pręſertim Chriſti Do-

mini tanquam Eccleſiaſtici theſauri diſpenſator applicaret, veluti ſolvens pro eo, ejuſque debitum expungens. Hęc autem ſolutio aliquando fiebat in totum à ſummo Pontifice, itaut tota pœna, quam Pœnitens pro ſuis culpis perſolvere debuiſſet, aut in hac vita ex mandato Confeſſarii, aut in alia vita ex determinatione Divina, ei remitteretur; aliquando ab eodem Pontifice, & ab inferioribus Epiſcopis non hoc modo fiebat, ſed minùs liberaliter, nempe ad remittendam ſolam partem prædictæ pœnæ taxatæ ab homine, vel à Deo. Et quamvis utraque iſta redemptio majoris pœnitentiæ, facta videlicet aut à ſimplici Presbytero pœnitentiario per ſolam ſubrogationem minoris pœnitentiæ, aut à Pontifice, vel Epiſcopo per applicationem ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum, in theſauro Eccleſiæ contentarum, eſſet opus condonationis, & indulgentiæ, facta tamen ſolo ſecundo modo dicta fuit, & dicitur etiam modò Indulgentia, plena quidem, ſeu plenaria, ſi pœnitenti injunctum pium opus exequenti applicentur prędictæ ſatisfactiones ad remittendam totam pœnam à Canone, & à Deo taxatam; non plena, ſi applicentur ad remittendam ſolam partem talis pœnæ.

2 Dicitur autem Pontifex vel Epiſcopus concedere Indulgentiam e. g. quadraginta dierum,

rum, vel ſeptem annorum, quia prædicta applicatio, & ſolutio fit vel ad remittendum tantundem pœnæ quantum à Deo remiſſum fuiſſet, ſi Pœnitens quadraginta dies jejunii canonici in ſolo pane, & aqua, quod carinam vocabant, vel ſeptem annos canonicæ pœnitentiæ ſupra deſcriptos peregiſſet; Quo fit, ut Pœnitens id faciens, quod Pontifex ſeu Epiſcopus injungit ad lucrandam Indulgentiam, non teneatur facere canonicas prædictas pœnitentias.

3 Antiquiſſimus autem eſt in Eccleſia uſus utriuſque redemptionis pœnitentialis. Cùm enim Concilia omnia, omneſque Patres Canonum pœnitentialium conditores ſic eas tam graves pœnitentias injungerent, aut injungi cuperent, ut tamen eaſdem minuendi facultatem Epiſcopis relinquerent, prout expedire cognoviſſent, jam hi non rarò eas minuebant, & Pœnitentibus permittebant, ut eas, opere faciliori ſubrogato, redimerent: cumque id (ut patet ex Tertull. in lib. ad Martyres cap. 1. & ex S. Cypr. epiſt. 11. vel 15. & in extremo ſerm. de lapſis) ſæpiſſimè facerent ad preces Martyrum, & Confeſſorum, qui in carceribus pro fide detinebantur, aut paulò ante pro Chriſto objerant, & pro lapſis interceſſerant, jam his eorum martyria, & ſatisfactiones applicabant in pœnitentiæ debitæ relaxationem, ut probat Card. Bellar.

de Indulg. lib.1.cap.3. Cœpit autem id frequentiùs fieri, poſtquam ejus utilitas magis apparuit; apparuit autem potiſſimùm in Galliis, ubi permulti per hanc impoſitarum, aut imponendarum pœnitentiarum permutationem fuerunt ex deſperatione ſalutis ſuæ in ſpem, & ſalutem revocati, ut oſtendi in Cler. Rom. lib. 2. diſp.11. num.15. Cæterum longè ante, ut dicebam, intellexerant Patres, graviſſimum onus eſſe canonicas pœnitentias peragere, & aliquos quidem futuros, qui ex magna contritione eas, immo etiam majores peragerent, alios quoque, qui per vim, aut præceptum ad eas peragendas compelli poſſent, ſed alios longè plures futuros, qui id non facerent, nec compelli poſſent, ut facerent; id ergo conſilium injerunt, ut in gratiam eorum & pro tuenda diſciplina imponerentur illæ tot dierum, aut etiam annorum pœnitentiæ, in gratiam verò iſtorum, ſuæque commiſerationis oſtenſionem, tot illi dies & anni ſic dividerentur, ut ſaltem aliqui ex ipſis redimi per minorem pœnitentiam poſſent, & in locum jejunii rigidioris, aliud jejunium minus rigidum, vel aliud pium opus minus difficilè ſubrogari.

4 Per hanc redimendi facultatem pœnitenti conceſſam mitigatur apud Burchardum lib.19. cap.5. ea ſeptem annorum pœnitentia quam ſu-

pra

pra recitavi; primo enim anno, ſaltem cùm aliqua neceſſitas urget, poteſt redimi jejunium illud rigidiſſimum ſecundæ, quartæ, & ſextæ feriæ. Secundò verò & tertiò anno etiam ſine neceſſitate poteſt redimi jejunium tertiæ & quintæ feriæ & Sabbathi. Reliquis autem annis, excepto jejunio earum trium Quadrageſimarum, & ſextæ feriæ, totius ferè pœnitentiæ redemptio conceditur. Redemptio autem, qua unius diei jejunium magis rigidum in minus rigidum mutabatur ibidem propoſita, eſt vel unius denarii, vel cibariorum, quæ tribus pauperibus alendis ſufficerent. Alia redemptio conceditur apud eundem cap.21. ex Pœnitentiali „ Theodori. Sic enim dicitur. „ Pro uno die, „ quem in pane, & aqua jejunare pœnitens de- „ bet, roget Presbyterum ut Miſſam cantet „ pro eo, niſi ſint crimina capitalia, quæ con- „ feſſa prius lavari cum lacrymis debent, & „ tunc ipſe adſit, & audiat Miſſam, & devotè „ ipſe offerat propriis manibus panem, & vi- „ num manibus Sacerdotis, & humiliter Deum „ deprecetur, & eo die, excepto vino, car- „ ne, & ſagimine, comedat quidquid vult. „ (Et infra cap.22. ex eodem Theodoro:) Si „ quis fortè non potuerit jejunare, & habuerit „ unde poſſit redimere, ſi dives fuerit, pro „ ſeptem hebdomadibus det ſolidos 20. Si non

 „ ha-

„ habuerit unde tantum dare poſſit, det ſolidos decem. Si autem multum pauper fuerit, „ det ſolidos tres, ſive pro redemptione captivorum, ſive ſuper ſanctum Altare, ſive „ Dei ſervis, ſeu pauperibus in eleemoſynam. „ (Et cap.23. ex eodem.) Qui non poteſt ſic „ agere pœnitentiam, ut ſuperiùs diximus, faciat ſic. Si tres annos continuos jejunare debet, & jejunare non poteſt, ſic redimere poteſt. In primo anno eroget in eleemoſynam „ ſolidos viginti ſex, in ſecundo anno ſolidos „ viginti, in tertio ſolidos decem & octo. Potentes autem homines plus dare debent &c.„ Nihil autem habenti, quo redimeret, aliarum redemptionum remedium offertur in Pœnitentiali Bedæ quem ſupra recitavi cap.8. num.6. & meminit Burchardus lib.19. cap.24.

Apud eundem cap.11. & ſeqq. ſic ſtatuitur „ ex Pœnitentiali Romano. „ Qui jejunare poteſt, & implere, quod in Pœnitentiali ſcriptum eſt, bonum eſt, & Deo gratias referat. „ Qui autem non poteſt, per miſericordiam „ Dei conſilium damus tale, ut nec ſibi, nec „ alicui neceſſe ſit, nec deſperare, nec perire. „ Pro uno die, quem in pane, & aqua jejunare „ debet, quinquaginta pſalmos genibus flexis „ in Eccleſia, ſi fieri poteſt, decantet; ſin autem „ in loco convenienti eadem faciat, & unum

„ pau-

„ pauperem paſcat, & eo die, excepto vino, „ carne, & ſagimine ſumat quidquid velit. Si „ autem tandiu in genibus jacere non poſſit, „ intra Eccleſiam ſi fieri poteſt; ſin autem in „ uno loco ſtando intentè ſeptuaginta pſalmos „ decantet. Qui in Eccleſia, vel ſi non poteſt „ in Eccleſia, ſecretè in loco convenienti ge- „ nua centies flexerit, ideſt centies veniam pe- „ tierit, eo die, excepto vino carne & ſagimi- „ ne, ſumat quod placeat.

Demum in gratiam pariter eorum qui nihil habent, quo redimant, hęc alia redemptio proponitur ab eodem cap. 25. nempe ea palmatarum; itaut tot ictibus ferulæ excuſſæ ſupra palmam manus, una, aut plures dies pœnitentiæ redimerentur.

5 Initio fortaſſe non fuerunt permiſſæ redemptiones valde faciles; nam difficile aliquid ſubrogare Pœnitens jubebatur. Ex. gr. jejunio in pane, & aqua jubebatur ſubſtituere jejunium in ſolis oleribus, & leguminibus, vel multorum pſalmorum cantus, vel abundans eleemoſyna. Poſtea verò permiſſum, ut id ſubrogaret Pœnitens, quod non admodum difficilè poterat exhibere, ut oſtendi in Clerico Rom. lib. 2. diſp. 3. num. 9. Tandem, quandò ſic imponebantur pœnitentiæ canonicæ, ut pœnitens monitus ab ipſo Confeſſario de facultate redimendi, eas

non ſoleret facere, cęperunt nec imponi, ſed loco earum injungi aliæ minores, nempè illæ quas ipſe pœnitens poterat in locum canonicæ pœnitentiæ ſubrogare. Ne tamen is crederet, non eſſe admodum gravia ſua delicta, quibus expiandis onus non admodum grave imponebatur, monebatur de canonica pœnitentia, quam peragere ipſe debuiſſet, niſi Eccleſia indulgeret, quamque illi peragebant, qui malebant hìc hujuſmodi pœnitentiis, quam in alia vita per acerbiſſimam ignis purgatorii uſtionem divinæ juſtitiæ ſatisfacere. Hinc jubebantur, aut ſaltem monebantur Confeſſarii, ut memoriæ mandarent Canones pœnitentiales, & canonicas pœnitentias ſin minus imponerent pœnitentibus, ſaltem indicarent. Quod ipſum injungi Confeſſariis deſiit, tum quia, ut infra dicam, alia multa recentiorum aut Conciliorum, aut Pontificum decreta nunc ſcire tenentur, quæ non tenebantur olim, tum quia, ut Pœnitens rectè æſtimet delicta ſua, ſatis eſt eum monere, fuiſſe olim illis expiandis multorum annorum pœnitentiam injunctam, abſque eo quod de numero ipſo annorum ſingulis delictis purgandis determinato moneatur. Et hinc orta fortaſſe eſt ea multorum de ſeptenni pœnitentia cuivis delicto impoſita doctrina. Cùm enim multis eſſet impoſita major ſeptenni, multis minor, & nol-

let

let Confeſſarius, aut non poſſet dicere determinatè quæ pœnitentia ſingulorum eſſet, eam auditis omnibus criminibus ſummam annorum pęnitentiæ colligebat, quæ reſultaſſet, ſi ſingulis ſeptennis pęnitentia eſſet impoſita: in qua collectione ab ea veritate, quæ in his rebus requiritur, non diſcedebat: cum præſertim tam variæ eſſent Doctorum, ut audiviſti, de quantitate pęnitentiarum ſententiæ, & eidem delicto unus ſeptem, alter octo vel decem annorum pęnitentiam imponendam doceret. Per hos gradus hęc quæ modò viget, in imponendis pęnitentiis benignior, in largiendis Indulgentiis liberalior praxis invaluit.

6 *Cler.* Nempe ea, cui multi lapſum antiquæ diſciplinæ, pręſentemque morum inclinationem, ſeu potiùs depravationem attribuunt.

Auct. Fuit hæc quęrela Lutheri, ut aliquo prætextu deficeret ab Eccleſia, ac rudibus illuderet. Lutherum imitati ſunt in hoc etiam ejus diſcipuli, & potiſſimùm Kemnitius, de quo ita Cardinalis Bellarminus de Indulgentiis lib. 2. capite 19. circa medium. *Secundò Kemnitius addit, ex illis redemptionibus, & commutationibus pœnitentiarum ſecutam eſſe languefactionem (ſic enim ipſe loquitur) veræ contritionis, everſionem ſeriæ emendationis, & perſuaſionem impunitatis in delictis.* Ita loquitur

vir

vir ejus ſectæ, in qua nulla iudicuntnr jejunia ad redimenda onera peccatorum, nullus hujuſmodi pęnitentiarum aut uſus, aut amor. Vide, ne qui renovant has querelas, renovent paulatim eoſdem errores, in quos etiam Lutherus paulatim prolapſus eſt, ut idem Card. initio prædicti lib. 2. oſtendit.

7 Ego certè perutiles fuiſſe puto eas redemptiones, eamque quæ viget, & intra terminos à ſanctiſſimis, doctiſſimiſque viris, quos allegabo lib. 3. præfixos, continet ſe, imponendæ pęnitentiæ rationem. Hinc enim factum eſt, ut innumeri, qui perrarò accedebant, aut acceſſiſſent ad ſacramentalem confeſſionem, acceſſerint, accedantque frequenter, & feliciſſimè curati ſint, & curentur quotidie, ipſique ſponte ſua, aut Ordinem diſciplinæ ſtrictioris ingreſſi, aut domi ſuæ, totam vitam tranſigant in laboribus pęnitentiæ.

Cler. Cur ergo non eadem ratione curavit ſemper Eccleſia pęnitentes.

Auct. Quia non eadem parari poteſt quovis tempore medicina. Pauciſſimi olim pro numero Fidelium erant Presbyteri Confeſſarii, ut ſuo loco oſtendam; non igitur poterant audiri frequenter qui deliquerant, & hoc, aliiſque hujuſmodi modis excoli, & curari. Deerat igitur ratio, quæ modo potiſſimum hanc ſuavio-

ris

ris, cenſuræ praxim honeſtat, & ea illius majoris ſeveritatis, aut verè exhibitæ, aut oſtenſæ peccatoribus fuit adhibenda, qua gravitatem ſuorum ſcelerum intelligerent, & perhorreſcerent.

8 Id ipſum quod modò prudentes multos Confeſſarios minùs fortè quam olim ſeveros à culpa vindicat, vindicat etiam Pontifices in concedendo Indulgentiarum beneficio magis quam fortè fuerint olim liberales.

Cler. Id etiam laudabile putas?

Auct. Quis dubitet?

Cler. Dubitant aliqui.

Auct. Nempe ii, de quibus paulò ante loqnebar, qui nempè negant hanc ineſſe Pontifici poteſtatem, aut de ea dubitant.

Cler. Ii, de quibus ego loquor, non dubitant de poteſtate, ſed de ejus uſus honeſtate. Putant enim non licere Pontifici tam frequenter uti ſua poteſtate. Vel non dubitant de poteſtate, ſed de amplitudine poteſtatis, an videlicet poteſtatem habeat Pontifex largiendi tam frequentes, tam plenas, tam faciles Indulgentias.

Auct. Dum adeſt ratio concedendi, adeſt etiam poteſtas, ut omnes Theologi docent. Ratio autem concedendi adeſt in omnibus, quas modò Pontifices concedunt, cùm magna ex omni-

omnibus redundet utilitas, nullum verò detrimentum. Eas modò Pontifices largiuntur, ut excitent Fideles, vel ad uſum Sacramentorum, quem ſæpè exigunt in diplomate Indulgentiæ, vel ad preces Deo fundendas pro Fidei incremento, hæreſum excidio, & Chriſtianorum Principum concordiâ, vel ad laudabilia religionis, aut miſericordiæ, aliarumque virtutum officia capeſſenda. Quanta autem utilitas hæc eſt, quod Fideles Sacramenta frequentent, quod Deum orent pro Divinæ gloriæ, & Reipublicæ Chriſtianæ amplificatione, quod egenis, & infirmis adjumento ſint, & ſaluti?

Cler. Ingens utilitas hæc eſt, ſed ingens quoque relaxatio pœnitentiæ, ac diſciplinæ eſt hæc largitas Indulgentiarum.

9 *Auct.* Putas ergo per frequentem uſum Sacramentorum, per preces, eleemoſynas aliaque charitatis, religionis, & miſericordiæ ſanctiſſimas actiones relaxari pœnitentiam, & diſciplinam? Quid, amabo te, putas eſſe Chriſtianam pœnitentiam, ac diſciplinam? Jejunia multa? Pars iſta pœnitentiæ, ac diſciplinæ eſt, nec potiſſima, ſed ea quæ ex recenſitis nobiliſſimarum virtutum actibus conſurgit.

Addo, nec iſtam minui, aut relaxari quam tu vocas pœnitentiam, ac diſciplinam. Deſinant Pontifices ſic indulgere: de Theſauro Ec-

cleſiæ

cleſiæ nihil promant, quo pœnæ debitum extinguatur, quo pœnitentiæ redimantur. Quid indè? Putas ne illico majus fore in omnibus ſtudium Pœnitentiæ? Erras toto cœlo, ſi ita opinaris. Quos modò non tangit cura ſeverioris pœnitentiæ, nec tunc, ſi paucos excipias, tangeret. At innumeri, qui modò Pontificia liberalitate, & ſpè lucrandæ Indulgentiæ illecti Templa Divorum inviſunt, eleemoſynas erogant, & remedio Sacramentorum medentur culpis ſuis, nihil horum facerent, & in immenſum creſceret numerus impiorum, eorumque qui toto anno ſuis criminibus inſordeſcunt, ut accidebat olim, cùm Theſaurus Eccleſiæ minùs patebat, & forum Pœnitentiæ ſeveros illos Canones, ut dicunt, intonabat.

10 *Cler.* At multi quoque circumſonant Canones Pontificum, & Conciliorum, quibus non ſemel cautum eſt, ne per indiſcretas Indulgentias Eccleſiaſtica diſciplina relaxetur. Igitur accidit aliquando, ut indiſcretæ hæ ſint, & contra Eccleſiaſticam diſciplinam.

Auct. Hujuſmodi fuiſſe unquam Summorũ Pontificum Indulgentias non reor. Cùm verò ſemper extiterint in Eccleſia homines, cęteroqui non mali, ſed rigidi, qui ad omnem ferè indulgentiam obſtrepunt, ne horum quærimoniæ ex mente bona proficeſcentes penitùs deſpici

vide-

viderentur, ea decreta, quæ dicis, ediderunt Patres. Niſi potius dicendum ſit, redarguere eos verè voluiſſe quoſdam Epiſcopos nimiùm indulgentes, qui indulgentiâ ſuâ effecerunt, ut eorum hac in re poteſtas reſtringeretur in cap. *Cum ex eo*. De Pœnitent. & remiſs. ut ibidem innuitur, & colligi poteſt ex iis quæ attuli in Clerico Romano lib. 2. diſp. 3. num. 9. Ne autem poteſtas ſic reſtricta unquam relaxetur, id poſterioribus etiam Conciliis cavetur. Sed hac de re pluſquam ſatis pro noſtro inſtituto diſputavimus.

Cler. Igitur redeamus ad noſtros Canones Pœnitentiales, quorum quæ fuerit diſciplina, qui ſcopus, ſatis docuiſti. Sequitur modò ea altera quæſtio, quæ fuerit eorum auctoritas in Eccleſia.

CAPUT X.

Quæ fuerit Canonum Pœnitentialium, & Pœnalium Authoritas.

1 *AUCT.* Non una omnibus fuit; imò nec omnibus fuit. Aliqui habuerunt authoritatem ſummam, aliqui nullam, aliqui magnam, & in tota Eccleſia, aliqui ſolùm in aliqua.

Quos

Quos condidit Chriſtus Dominus utique habuere ſummam. Infallibilis quoque authoritatis ſunt quos aut Apoſtoli, aut Eccleſia univerſa in Conciliis OEcumenicis, aut Pontifices ſtatuere.

Magnam in univerſa Eccleſia authoritatem habuere Canones aliquot Conciliorum particularium, idque aut ex conſenſu Eccleſiarum, aut ex confirmatione Concilii generalis, aut Pontificum, qui hos Canones allegarunt, & allegando confirmarunt, ut facit Zacharias Papa in reſponſis ad Pipinum, quæ allegavi cap. 8.

Aliqua prædicta Concilia particularia ſic recepta, aut confirmata recenſentur apud Ivonem part.4. cap.72. & apud Gratianum diſt.20. cap. *De libellis*, à Leone Papa redarguente Epiſcopos Britanniæ, quod pluris facerent ſententias Patrum contentas in ipſorum libellis, & commentariis, quam Canones Conciliorum, & ex illis potius, quam ex his in occurrentibus diſciplinæ quæſtionibus, & cauſis judicium, & ſententiam ferrent, ut modò aliqui in ipſa doctrina fidei pluris æſtimant ſententias Patrum, quas malè interpretantur, quàm Pontificum Bullas. Verba prædicti Pontificis hæc ſunt. *De libellis, & commentariis aliorum non convenit aliquem judicare, & ſanctorum Conciliorum Canones relinquere, vel Decretalium regulas,*

las, ideſt quæ habentur apud nos ſimul cum Canonibus. Quibus autem in omnibus Eccleſiaſticis utimur judiciis ſunt Canones Apoſtolum, Nicęnorum, Ancyranorum, Neocęſarienſium, Gangrenſium, Antiochenſium, Laodicenſium, Conſtantinopolitanorum, Epheſinorum, Chalcedonenſium, Sardicenſium, Aphricanenſium, Carthaginenſium, & cum illis regulæ Præſulum Romanorum Silveſtri, Siricii, Innocentii, Zoſimi, Cæleſtini, Leonis, Gelaſii, Hilarii, Symmachi, Hormiſdæ, Simplicii, & Gregorii junioris. Iſti omninò ſunt, & per quos judicant Epiſcopi, & per quos Epiſcopi ſimul judicantur.

2 Hujus, aut ſimilis Collectionis, qua prędictorum Conciliorum Canones continebantur, & Codex Canonum appellabatur, mentionem facit Nicolaus Papa (ut refertur in cap. *ſi Romanorum* diſt. 19.) pariter redarguens aliquos qui, ut etiam modò fit ab aliquibus, recipiebant ea Pontificum decreta, quæ *ſuæ intentioni ſuffragari conſpiciebant*, ea verò quæ contraria erant, reſpuebant, eam cauſam prætexentes, quod *in Codice Canonum non eſſent adſcripta*. Cùm verò hìc dicat Nicolaus, eo Codice, ſeu collectione non contineri omnia, quæ debuerunt recipi, & fuerant recepta, jam ex eo, quod Leo prædictus eorum tantùm particularium Con-

Conciliorum fecerit mentionem, non ſequitur, quod nullius alterius Concilii particularis Canones pertinentes ad diſciplinam tunc eſſent recepti. Magnus certè honos Conciliis Toletanis habitus fuit.

3 Circa Canones Concilii Illiberitani variant Scriptores, ut dixi cap.5. num.1. Receptos & benè conditos aliqui negant, plerique modò eos vindicant: non indè tamen ſequitur quod fuerint ab univerſa Eccleſia recepti. Hoc certum eſt, eos Canones quibus tam multis etiam in morte communio negatur, rejectos fuiſſe: ſi præſertim, ut aliqui dicunt, omnem communionem Sacramentorum denegarunt, adeòque etiam abſolutionem peccatorum, cùm, ut alibi oſtendi, aliquot poſtea Pontifices definierint, id genus Viatici denegari morientibus non poſſe.

Dixi *ſi præſertim etiam abſolutionem peccatorum negarunt*: nam quamvis dicantur ſolam Euchariſtiæ communionem denegaſſe, adhuc tot inde Concilia, Pontificeſque ſanxerunt, ne ulli in extremis conſtituto, & ex animo poſcenti, Euchariſtia negetur, tamque ſignificanter id ubique mandant, & inculcant, qualiacunque fuerint antea ab eo, qui moritur, commiſſa delicta, ut ſatis oſtendant, nec id poſſe, præſertim tam ſæpè, ut illud Concilium facere videtur, morienti

P nega-

negari . Hæc Pontificum , ſeu Conciliorum decreta reperies apud Burchardum lib.18.cap.6. & ſeqq. apud Ivonem part.15. cap.31. & 33. & apud me in Clerico Rom.lib.1.diſp.1. 2. 3.& 4. Quæ fecerunt , ut ego in ejus Concilii , quod ſanctum fuiſſe arbitror , honorem , aliter eos Canones explicarim in eo cap. 5.

4 Nec videntur fuiſſe ab Eccleſia ſaltem univerſa recepti Canones illi Patrum Græcorum Baſilii , Nyſſeni &c. Hinc eos in ſuas Collectiones non tranſtulere celeberrimi Canonum Collectores . Receptos tamen eos ab Eccleſia Greca fuiſſe, Canon ſecundus Concilii Trullani demonſtrat . Quamvis recepti ſolùm fuerint , juxta communem Doctorum , & præſertim Joannis Jejunatoris interpretationem , ut ſupra dicebam cap.7. num.9.

Quo eodem modo fuerunt ab Eccleſia Latina recepti , quos illa dicitur recepiſſe . Non enim ſic recepit , ut eos omnes obſervarit adamuſſim,aut obſervari præceperit,cum obſervari ſimul non poſſent , utpotè diverſi, & aliquando etiam contrarii , ſed dicitur recepiſſe , Primò , quia eos ſimul colligi curavit , aut probavit , quòd aliquorum ſtudio colligerentur . Secundò , quia voluit , eos non ignorari à Judicibus Eccleſiaſticis , ut per eos aliquo modo dirigerentur in ferendis ſententiis . Tertiò , quia voluti ,

luit, ut ipſis Pœnitentibus, cùm expedire viſum fuerit, proponerentur.

Cler. Audivi, fuiſſe hos Canones Pęnitentiales à reliquo corpore Canonum divulſos, & in unam exiguam collectionem ſimul aggregatos. Scire percupio, quis eos collegerit? Et, ſi multi fuerunt hi collectores, quæ optima collectio ſit?

Auct. Multi hanc provinciam ſuſcepere. Antiquiſſimi fuere, qui libros Pœnitentiales concinnarunt. Brevior ea eſt, quam edidit Gregorius Papa III. eamque reperies in Labbęana Collectione Conciliorum tom. 6. pag. 1476. ſub hoc titulo ſummario, *excerptum à B. Gregorio Papa III. editum ex Patrum dictis, canonumque ſententiis de diverſis criminibus, & remediis eorum*. Sed hi non indicant loca Patrum, & Conciliorum, quorum ſunt prædicti Canones, ut eos indicant ii Theologi Caſuiſtæ, qui poſtea has collectiones vulgarunt, fuerunt autem omnes, qui olim ſummas, aut tractatus morales ſcripſere, S. Raymundus, S. Bonaventura, Joannes de Friburgo, Aſteſanus in ſua ſumma Aſtenſi, cujus, aut potius Oſtienſis eſt ea Collectio, quæ fuit adjecta Gratiano, & legitur in calce Decreti ſub hoc titulo, *Canones Pœnitentiales &c.*

Demùm noviſſimè, diligentiſſimè, ordina-

tiſſimeque hos Canones collegit S. Carolus in Inſtructione Confeſſariorum, allegatis in margine eorum Authoribus, locisque.

Cler. Ne graveris hic eos afferre, ne quid ad hanc materiam ſpectans in hoc tuo opere deſideretur.

Auct. Id faciam breviſſimè, & ideò aliquorum Canonum potius ſenſum afferam, quam verba.

Collectio eorum Canonum Pœnitentialium, qui modò à Doctoribus ſub hoc nomine afferuntur.

Circa primum Præceptum.

QUI Fidem Catholicam deſeruerit, pœnitentiam aget annis decem. Similiter qui Diabolo immolaverit.

Qui aliquam Gentilium ſuperſtitionem ſequutus fuerit, pœnitebit annos duos.

Qui comederit ex ſacrificio Paganorum pœnitebit in pane, & aqua dies triginta.

Qui cum Judæo cibum ſumpſerit pœnitebit dies decem in pane, & aqua.

Qui auguriis, & divinationibus ſervierit quivè incantationes diabolicas fecerit pœnitebit

bit annos ſeptem ; qui autem Magos conſulverit, annis quinque : & qui ligaturas, aut faſcinationes fecerit, annos duos : qui demùm herbas medicinales cum incantationibus collegerit, pœnitebit dies viginti.

Circa ſecundùm Præceptum.

Qui poſtquam Deo vovit, ad ſæculum redierit, pœnitebit annos decem, quorum tres in pane, & aqea.

Quicunque ſciens, & volens pejeraverit, quadraginta dies in pane, & aqua jejunabit, ſeptem ſequentes annos pœnitebit, & nunquam in teſtimonium recipiatur. Qui pejeraverit per cupiditatem, 40. dies in pane, & aqua jejunabit, & quandiù vivit, omnes ſextas ferias, aut Monaſterium ingreſſus jugiter pœniteat. Qui pejeraverit Domini impulſu, pœnitebit Quadrageſimas tres, & ferias legitimas. Dominus autem, quia præcepit, poſt jejuninm 40. dierum in pane, & aqua, ſeptem annos pœniteat. Qui id fecerit coactus, & neceſſitate aliqua impulſus, Quadrageſimas tres pœnitebit. Qui jusjurandum quo ſe Regi, & Domino aſtrinxerit, violavit, in Monaſterio pœnitentiam aget omnibus diebus vitæ ſuæ. Qui ſe jusjurando aſtrinxit, ut pacem cum aliquo non habeat, pœnitebit 40. dies in pane, & aqua per annum à

ſacra Communione ſegregatus. Celeriter verò cum illo reconcilietur.

Circa tertium Præceptum.

Qui opus aliquod ſervile in die feſto fecerit, pœnitebit tres dies in pane, & aqua.

Si quis ante Eccleſiam ſaltationes fecerit, pœnitebit diebus tribus. Similiter, qui pranſus Miſſæ interfuerit. Qui verò ſacram Communionem ſumpſerit poſt aliquam, vel minimam deguſtationem, pœnitebit in pane, & aqua dies decem. Similiter qui in Eccleſia confabulatur, cùm Divina fiunt.

Si quis jejunia à Sancta Eccleſia indicta violaverit, dies 20. in pane, & aqua jejunabit. Qui verò jejunium Quadrageſimæ violaverit, pro uno die, pœnitebit dies ſeptem, & qui jejunium quatuor Temporum non cuſtodierit 40. dies in pane, & aqua pœnitebit. Qui demùm in Quadrageſima, carne ſine inevitabili neceſſitate veſcetur, in Paſcha non communicabit, & 40. dies in pane, & aqua jejunabit.

Circa quintum Præceptum.

Qui Parentibus maledixerit, 40. dies in pane, & aqua pœnitebit. Qui eos injuria affe-

cerit,

cerit, tres annos, & qui percuſſerit, annos ſeptem.

Qui contra Epiſcopum, & Paſtorem inſurrexerit, in Monaſterio pœnitentiam aget omnibus diebus vitæ ſuæ, & omnia bona ejus proſcribentur. Qui Epiſcopi, vel Parochi doctrinam, vel præcepta irriſerit, pœnitebit in pane, & aqua dies 40.

Circa quintum Præceptum.

Qui Sacerdotem voluntariè occiderit, carne, & vino abſtineat cunctis diebus vitæ ſuæ. Quotidiè, exceptis Feſtis, & Dominicis jejunet. Non ingrediatur Eccleſiam quinque annis, ſed præ ejus foribus ſtet, & per annos decem non communicet. Si Presbyter Presbyterum occiderit, pœnitebit annis 28. Si quis Patrem, aut Matrem, fratrem, aut ſororem occiderit, abſtineat à catne, & vino dum vixerit, jejunet feriis legitimis, & ſolum in obitu ſuſcipiet Corpus Domini. Qui filium ſuum, vel filiam voluntariè occiderit, extra patriam quinque annis exul fiat, & deinceps viginti annis pœniteat. Mulier, quæ ſpontè abortum fecerit, tribus annis pœnitebit, ſi autem id nolens fecerit, tribus Quadrageſimis pœnitebit. Si autem ſceleris occultandi cauſa filium necave-

rit, pœnitebit annos decem. Qui nolens filium oppreſſerit, pœnitentiam 40. dierum faciet, deindè tres annos pœnitebit per legitimas ferias. Ille, cujus filius ſine Baptiſmo per negligentiam moritur, tres annos pœniteat. Quæ veneno, aut aliò quovis modo maritum occiderit, Monaſterium ingrediatur. Si quis per induſtriam, & per cupiditatem homicidium fecerit, ſæculum derelinquat, & ingrediatur Monaſterium Monachorum, & ibi jugiter Deo ſerviat. Si quis per iram ſubitam, aut per rixam hominem necaverit, pœnitebit annos tres. Si caſu id fecerit, pœnitebit 40. dies, & poſt quinquennium ad communionem recipiatur. Qui homicidii auctor fuit ob conſilium, quod dedit, pœnitebit annos ſeptem.

Si quis aliquem calumniaverit, vel ei aliquod membrum præciderit, pœnitebit uno anno per legitimas ferias.

Si quis ictum proximo dederit, nec vulnerarit, tres dies jejunet in pane, & aqua.

Si quis fratri ſuo quem oderit, reconciliari non vult, tandiù in pane, & aqua jejunabit, quoad reconcilietur.

Circa ſextum Præceptum.

Si ſolutus cum ſoluta concubuerit, pœnitebit

tebit annos tres, & eò ampliùs quò ſæpius. Si cum habente virum, pœnitebit annos quinque; mulier verò ſeptem. Si habens uxorem ſemel lapſus eſt, pœnitebit annos quinque. Si ſępius, omnibus diebus vitæ ſuæ. Si quis conjugem fornicari conſenſerit, pœnitebit omnibus diebus vitæ ſuæ. Si quis adoleſcens cum virgine peccaverit, pœnitebit annum unum. Qui balneum cum fœmina ingreſſus eſt pœnitebit annos tres. Qui concupierit virginem, quam poſtea uxorem duxit, pœnitebit annum unum, ſi verò non duxit, annos duos. Cum duabus ſororibus fornicatus, pœnitebit toto vitæ tempore. Qui inceſtum minus fecerit, pœnitens erit annos duodecim. Sacerdos qui ſpiritualem filiam violaverit, gradu deiiciatur, & perpetuam agat pœnitentiam. Qui Monialem violaverit, pœnitebit annos decem. Qui cum brutis cojerit, pœnitebit annos decem ad minus. Similiter qui ſodomiticè cojerit, ſi ſit matrimonio junctus, ſi verò ſit ſolutus, annos ſeptem, ſi puer, dies centum, ſi ſervus, ſcopis caſtigabitur, & pœnitebit annos duos. Quicunque lenocinium exercuerit, pœnitebit annos duos, & ſacram Communionem non accipiet, niſi in fine vitæ. Mulier quæ ceruſſa, vel alio pigmento ſe oblinit, ut aliis viris placeat, pœnitebit annis tribus. Qui polluitur

ob prava deſideria, ſeptem pſalmos recitabit, & pœnitebit dies 30.

Qui ſui ſexus habitum mutaverit, pœnitebit annos tres.

Circa ſeptimum Præceptum.

Qui furatus eſt aliquid de Eccleſiæ ſupellectili, tres Quadrageſimas cum ſeptem ſequentibus annis pœnitebit. Qui pecuniam Eccleſiaſticam furatus eſt, quadruplum reddet, & pœnitebit annos ſeptem. Qui ſacras Reliquias furatus eſt, ſeptem Quadrageſima jejunabit.

Qui Eccleſiam incenderit, aut incendio conſenſerit, pœnitebit annos quindecim.

Si quis ſepulchrum violaverit mala intentione, pœnitebit annos ſeptem.

Qui decimam ſibi retinuerit, aut dare neglexerit, quadruplum reſtituet, & dies 20. jejunabit in pane, & aqua.

Qui legata pia Eccleſiæ non ſolvit, uno anno pœnitebit, & per legitimas ferias jejunabit.

Qui de hoſpitalis domus adminiſtratione, quam habet, aliquid ſubtraxerit, pœnitebit annos tres.

Qui fregerit noctu alicujus domum, & ali-

aliquid ceperit, pœnitentiam aget annum unum in pane, & aqua.

Si quis furtum de re minori, ſemel, aut bis fecerit, reſtituta re pœnitentiam aget.

Qui uſuras accipit, pœnitebit annis tribus, ſed uno in pane, & aqua.

Circa octavum Præceptum.

Qui falſum teſtimonium præſtiterit, aut proximo falſum crimen objecerit toto vitæ tempore communionem non ſuſcipiet. Qui verò falſo teſtimonio conſenſerit, pœnitebit annos quinque.

Qui proximo detraxerit, pœnitebit dies tres.

Qui falſam ſtateram, menſuramque adhibuerit, non ſolùm reſtituet, ſed pœnitebit in pane, & aqua dies 20.

Falſarius in pane,& aqua peniteat,quandiù vivit.

Circa ſeptem peccata Capitalia.

Reus capitalis, mortaliſque criminis, pœnitebit annos ſeptem, aut ſi laicus ſit annos quatuor, ſi Clericus quinque, ſi ſubdiaconus ſex, ſi Diaconus ſeptem, ſi Presbyter decem, ſi Epiſcopus duodecim.

Sacer-

Sacerdos imprudenter ebrius factus, jejunabit in pane, & aqua dies ſeptem, ſi per negligentiam, dies quindecim, ſi per contemptum dies 40.

Qui humanitatis gratia alium inebriari impulerit, eum ad bibendum excitando, pœnitebit dies ſeptem, ſi per contemptum prohibitionis, dies 30.

Qui pro ebrietate, & crapulâ vomitum fecerit, ſi Presbyter ſit aut Diaconus, pœnitebit dies 40. Si Monachus, aut Clericus dies 30. Si Laicus dies 15. aut à vino & carne abſtinebit dies tres.

Si quis gulæ cauſa, ante horam legitimam in die jejunii comedet, duos dies pœnitebit in pane, & aqua.

Monachus pro acedia jejunabit in pane, & aqua menſes tres: Clericus viginti dies.

Infirmos, & in carcere detentos viſitare negligens, jejunabit in pane, & aqua dies decem.

Circa Sacramenta.

Sacerdos excommunicatus, ſi celebret, tribus annis pœniteat, in quibus abſtinebit in ſingulis hebdomadis à carne & vino feria 2. 4. & 6.

Si

Si Presbyter in perpetuum depoſitus celebrare audeat, uſque ad ultimum diem ſit excommunicatus, & Viaticum tantum in fine ſumat.

Si Presbyter guttam ſanguinis Jeſu Chriſti cadere ſinat in terram, pœniteat dies 50. Si ceciderit in primam Altaris mappam dies duos. Si ad ſecundam pervenerit, dies quatuor, ſi ad tertiam dies novem: ſi ad quartam dies viginti. Si per inadvertentiam id fecerit, licet nullum inde malum, aut ſcandalum ortum ſit, tribus menſibus à ſui muneris adminiſtratione amoveatur.

Qui ſciens ſe rebaptizandum curaverit, ſi quidem per hęreſim tale flagitium perpetraverit, pœnitentiam agat annos ſeptem, tres Quadrageſimas primi anni jejunet in pane, & aqua, & quarta, & ſexta feria aliorum annorum. Si propter purificationem ſe rebaptizandum curaverit, pœnitentiam aget annos tres: Si verò per ignorantiam, quamvis non peccet, ad ſacros tamen Ordines non promoveatur, licet excellens, & eximius videatur.

Presbyter qui clandeſtinis ſponſalibus interfuerit, ſuſpendatur ab officio ſuo annos tres.

Puto autem, te non ignorare, quod innui ſupra, nempè Canones, quibus imponebantur decem,

decem, viginti, aut triginta dierum ieiunia, permiſiſſe in his diebus ſolum panem, & aquam. Similiter cùm imponebatur pœnitentia unius Quadrageſimæ, ieiunari debuiſſe totis quadraginta diebus cum ſolo pane, & aqua. Cùm verò tribus in anno Quadrageſimis pœnitendum erat, tam ſeverè ieiunari debuiſſe in ſolis feriis legitimis, nempe ſecunda, quarta, & ſexta. Cùm tandem imponebatur pœnitentia plurium annorum, ita fuiſſe in unoquoque anno ieiunandum, uti ex Burchardo docui cap. præcedenti.

Hi, nomine Canonum pœnitentialium, modò ſignificantur ex innumeris qui conditi per plura ſęcula fuere. An verò pœnitentiæ per eos propoſitæ, fuerint unquam in foro arcano Sacramenti Pœnitentibus impoſitæ, pręcepteque, & ab his verè peractæ, dubitant multi. Quid ego ſentiam, cùm iterum conveniemus, intelliges.

Finis primi Libri.

IN-

INDEX RERUM NOTABILIUM.

ALexander II. gravem pœnitentiam indicit cap.8. pag.180.
Alexander III. ſimiliter cap.8. pag.182.

BAlſamon dicit, aliquos S. Baſilii Canones pœnitentiales non fuiſſe obſervatos cap. 4. pag. 59. Idem refert ſententiam Epiſcopi benignioris, & ejus occaſione editam ab Imperatore Commeno Conſtitutionem *ibid*.

Baſilius fortè noluit imponi pœnitentias tam longas cap. 3. pag.35. cap. 4. pag. 70. & 73 cap. 7. pag. 142. Ejus Canones pœnitentiales cap. 4. pag. 43. An fuerint obſervati cap. 4. pag. 59 Diſcordare ſecum videntur cap.4. pag 73. & 74.

Bedæ liber pœnitentialis cap.8. pag. 144.

CAnonum pœnitentialium & pœnalium diviſio, ac definitio cap.1.pag.6. Qui doceant eos eſſe in uſum revocandos cap.1.pag 2. Qui fuerint eorum auctores cap.2. pag.9. Quam diſciplinam contineant cap. 3. pag. 12. Quam diſcrepent in taxanda pœnitentia pro eodem delicto cap.3 pag 31. Canones aliquot Patrum Græcorum cap.4. pag 37. Canones Concilii Illiberitani cap. 5. pag. 89. Ancyrani pag.115. Nicæni pag.119.&c. Canon 11. Nicænus diverſo modo refertur cap.5. pag.122. Canones Concilii Agath. cap 8. pag 154. Aurelianenſium pag. 155 Cabilonenſis pag. 165. Saleguſtadienſis pag.178 Toletanorum pag.162. Triburienſis pag.175. Vvormacienſis pag. 174. Canonum pœnitentialium authoritas quæ fuerit cap.10. pag.222. Canones modo dicti pœnitentiales, & à ſcriptoribus collecti afferunrur in fine cap 10. p.229.

Catechumenorum gradus, exercitationes, & ceremoniæ cap.3. pag.24. &c.

Chriſtianorum aliquot malorum aſtus, ut pietate fidelium juvarentur cap.5 pag.106.

Clericorum pœnitentia quæ eſſet cap.6. pag.129.

Communio laicalis quæ eſſet cap.5. pag.110.

Conciliorum Canones pœnitentiales V. Canones pœnitentiales.

Corbinianus vir ſanctus increpat principem inceſtuoſum, & convertit, ſed is ob occaſionem non remotam relabitur, & punitur cap.8 pag.166

DEnunciandi ad Epiſcopum erant mali Chriſtiani cap.3. pag.13.

Euty-

EUtychiani decretum de denunciandis delinquentibus cap 3. pag. 13
Excommunicatio quotuplex eſſet cap. 3. pag. 16.
GRegorii Thaumaturgi Canones pœnitentiales cap. 4 p. 40.
Gregorii Nyſſeni Canones pœnit. cap. 4. pag 79.
Gregorii IX pœnitentia cuidam impoſita cap 8 pag. 198. Ejuſdem conſtitutio in blaſphemos cap 8. pag. 201.
Gregorii X. pœnitentia ſimiliter impoſita cap. 8. pag. 202.
HOmicidis quam pœnam impoſuerit Commenus Imperator cap. 4. pag. 66.
Honorius III. pœnitentiam imponit cap 8. pag. 195.
Honorius IV. ſimiliter pag. 205.
ILliberitanum Concilium cap. 5. pag 89, & cap. 10. pag. 225.
Indulgentiarum origo, progreſſus, & utilitas cap. 9 pag. 209.
Innocentii III. pœnitentia cuidam impoſita cap. 8. pag. 185.
Joannis Jejunatoris liber pœnitentialis cap 7. pag. 133.
LUdi aleæ & taxillorum cur prohibiti à Conc. Illiber. cap 5. pag. 111.
MAgiſtratus & munia quædam honorifica non interdicta Chriſtianis ab Ethnicis Imperatoribus, an permiſſa ab Eccleſia, uti etiam gentilitium Sacerdotium cap. 5. pag. 104.
NIcolai Papæ pœnitentia cuidam impoſita cap. 8. pag. 171.
PEtri Alexandrini Canones pœnitentiales.
Pœnitentia ſolemnis ritus in die Cinerum cap. 3. pag. 21. Ejus quatuor gradus, & ceremoniæ cap. 3. pag. 24. Qualis eſſet anno I. Qualis poſtea toto cap 8. & præſertim pag. 177. Ea perfuncti, & abſoluti fori ſecularis pœnis abſolvebantur cap. 4. pag. 65. Pœnitentia Clericorum cap. 6. pag. 128. Pœnitentia impoſita à Pontificibus Stephano, Nicolao, Alexandro II. Alexandro III. Innocentio III. Honorio III. Honorio IV. Gregorio IX. & Gregorio X. & ab aliquibus Conciliis *vide* cap. 8.
Pœnitentium Ordo, ejuſque leges cap. 6. pag. 175.
Pœnitentes negligentes duriùs tractati cap. 3. pag. 17.
Pœnitentiarum redemptiones cap. 9. pag. 209.
Pœnitentialis liber. cap. 7. pag. 133. & cap. 8. pag. 144.
SCrutinia Catechumenorum quæ eſſent cap. 8. pag. 170.

ANT 131 5334